



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Titulus I. De Accusationibus, Inquisitionibus, Denunciationibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)



# LIBER QUINTUS DECRETALIU. TITULUS I.

De Accusationibus, Inquisitionibus, Denun-  
ciationibus.

## CAPUT I.

*De variis modis procedendi contra criminosos, &  
in specie de accusatione.*

*Quest. 1. Quot modis causa & actiones  
criminales deducantur in iudicium.*

**R**esp. Horum modorum in genere sunt duo, dum nimirum Judex procedit vel ad instantiam partis, accusantis, denunciantis, petentis; vel ex officio suo, seu citra ullius querelam, denunciationem, petitionem; sub quibus proinde comprehenduntur tres modi sequentes in *Rubrica. h. r.* expressi, scilicet sub priorē accusatio & denunciatio; sub posteriore inquisitio; quibus duo alii addendi; nimirum modus procedendi per exceptionem, (de qua, quid sit, & quod duplex, qualiter instituat, & criminaliter intentata induat naturam accusationis, & quales proinde conditiones requirat &c. dictum *Lib. 2. tit. 25. per totum à quest. 858.*) & modus procedendi sine ordine, intellige, consueto iudicii, uti sit, quando reus in flagrante deprehenditur, aut delictum est notorium. Nunc de iis singulatim in sequentibus, excepto quarto, utpote de quo accuratè actum, *L. c. &* quidem incipiendo ab ultimo, sit.

*Quest. 2. Delictum quodnam & quotu-  
pliciter notorium.*

1. **R**esp. Ad primum: Notorium propriè dicitur, quod per evidentiam rei, quæ nulla tergiversatione celari potest, patet. Huic notorio opponitur occultum, tam propriè tale, nimirum quod non solum soli DEO scrutatori cordium cognitum est, sed & quod nulla ratione probari potest. Jo-And. in *c. vestra. de cohabit. cler. cum mulier. num. 12.* Anchor. *ibid. num. 14.* Abb. *n. 10.* R. P. *Laur. jur. can. Lib. V.*

Fagn. *n. 45.* Quò referuntur etiam à Claro *pract. crim. §. fin. q. 9. n. 2.* Farin. *pr. crim. q. 18. n. 105.* Haunol. *de f. & j. Tom. 6. tr. 2. n. 27.* apud Wiestn. *h. r. n. 2.* quorum probatio ex communiter contingentibus haberi non potest; quia per se clam & in occulto fieri solent, ut sunt dolus, furtum, adulterium, suppositio partus, Sodomia, Simonia &c. Item quæ non propriè, sed pene occulta dicuntur. *cit. c. vestra.* qualia sunt, quæ in iudicium nondum deducta à paucis sciuntur; & probari possunt: v. g. à duobus, tribus, vel ad summum quinque; cum secretum adhuc dicatur, quod in presentia quinque personarum dicitur aut fit. *can. 87. de panit. dist. 1. §. hac ergo secreta.* & *GL. ibid. v. secreta.* Porro notorium propriè tale confunditur cum *publico* in supremo gradu tali, differt tamen à *publico* in secundo gradu, quod convenit cum notorio penè, seu quasi tali, multoque magis à *publico* in imo gradu, utpote quod saltem à duobus scitur, & sic adhuc probari potest. Differt à manifesto, (etsi hoc subinde cum notorio confundatur. Arg. *c. constitutionem. de V. S. & c. fin. de cohabit. cler. cum mulier.*) quòd manifestum propriè tale illud sit quid minus quam notorium propriè tale, ut Abb. in *est. c. vestra n. 12.* Fagn. *n. 55.* & dicitur cum addito famosè notum, seu ex certa scientia, certisque authoribus, ut Abb. & Fagn. *LL. cit. Tusch. Lit. N. concl. 104.* à qua famositate abstrahit notorium.

2. **R**esp. Ad secundum: Notorium aliud est notorium notorietate juris, nimirum, quod evadit tale per confessionem propriam (intellige, spontaneam, & non gravi metu aut tormentis extortam) factam in iudicio, non revocatam, vel per probationes judiciales plenas, hoc est, testium omni exceptione majorum depositiones legitime receptas;

A

vel

vel instrumentum publicum & authenticum in judicio productum; vel per sententiam definitivam condemnatoriam ad pœnam, vel criminis declaratoriam, quæ transit in rem judicatam, utpote quibus, quia jam in causa conclusum, nihil opponi potest; quin & per sententiam interlocutoriam, latam cum cognitione causæ, quæ in rem judicatam transit; ut cum Abb. in *c. cum olim. de V. S. à n. 3.* Fagn. in *c. vestra. à n. 71.* Masc. *de prob. concl. 1106. à n. 9.* quos citat Wiestn. *b. s. n. 3.* Ad quam notorietatem juris reducitur notorietas præsumptionis fundatæ in circumstantiis, ex quibus jus ita aliquid præsumit, ut id haberi velit pro veritate, & ex ea perinde, ut ex alia probatione plena ad sententiam procedi possit. Aliud est notorium notorietate facti, quod gestum palam in oculis hominum, puta, coram majore parte populi, vicinæ, parochiæ, collegii alteriusve communitatis, ita tamen, ut non requiratur, gestum esse coram totius populi existentis in aliquo loco. puta, civitatis majore parte; sed major pars intelligatur respectu vicinæ, parochiæ, collegii, communitatis; ut Sanch. *L. 6. consil. mor. c. 3. du. 3.* Abb. in *cit. c. vestra. n. 16.* Reiffenst. *b. t. n. 251.* Quin nec requiri semper majorem partem communitatis, si hæc valde ampla, ut tenere videtur Sanch. *l. c.* contrarium tenentibus Abb. *l. c.* Fagn. *l. c. n. 88.* quos citat Reiffenst. *n. 250.* dicens ridiculum esse, dicere, non sufficere ad constituendum notorium, quod gestum coram centum, dum communitas constat 300. hominibus. Num vero requiratur totius communitatis præsentia, dum hæc exigua est: v. g. constat decem; an vero sufficiat major ejus pars; v. g. sex præsentis, non est extra controversiam; posterius sentiunt Abb. *l. c.* Sylv. *v. notorium. q. 4.* Navar. *c. 27. n. 55.* quos citat & sequitur Reiffenst. *n. 249.* ex earatione, quod decem constituunt populum. Arg. *c. unie. 10. q. 3.* & quod per majorem partem populi totus populus designetur. *L. aliud. ff. de reg. jur. & consequenter, quod coram majore parte talis communitatis sit, censetur fieri coram omnibus.* Idem sentire videtur Pith. *ad tit. de excom. n. 114.* dum inquit: Si percussio fiat coram tot oculatis testibus, ut vel toti communitati, quæ saltem decem personas habet, vel majore ejus parte, saltem coram sex, nota sit; & mox subdit: quare etiam si Petrus percussit Clericum coram tribus aut quatuor, (intellige, personis talis communitatis constantis decem) ut in judicio probari possit, non tamen propterea censetur notorium evidentiæ facti. Porro notorium facti aliud est facti permanentis, quod constanter omnium oculis exhibetur; v. g. incarcerationio Clerici, qui in carcere publico omnium oculis patente continuo detinetur. Aliud facti transeuntis, seu momentanei, quod in conspectu totius vel majoris partis populi commissum; v. g. homicidium in foro, blasphemia coram pluribus audientibus prolata; quæ, si sæpius coram iis iterata, dicitur notoria notorietate facti interpolati: ita Sylv. *l. c. n. 2.* Abb. *l. c. n. 15.* Fagn. *l. c. à n. 78.*

*Quæst. 3. Quæ requirantur, ut Judex non servato juris, seu processus judicialis ordine contra crimina notoria procedat.*

**R** Esp. Requiritur primò, ut factum notorium sit non tantum quod ad substantiam, seu existentiam, sed etiam in ratione delicti; v. g. ut constet, num homicidium factum ex dolo vel cul-

pa, cum fieri potuerit ad sui defensionem, servato moderamine inculpatae tntelæ; quia, si de hoc non constaret, posset adhuc excusatione vel tergiversatione celari; ita Clar. *pract. crim. §. fin. q. 9. n. 3.* Farin. *pr. crim. q. 21. num. 49.* Haun. *l. c. n. 30.* Passerin. *tribun. regul. q. 10. n. 5.* apud Wiestn. *n. 6.* iis inharentem juxta *c. tria nos. de cobabu. cler. cum mul.*

2. Secundo, ut de ipsa notorietate Judici constet, quod fieri potest duobus modis; uno, si dictum commissum in præsentia Judicis pro tribunali fedentis, aut aliis in exercitio jurisdictionis existentis, præsentis & intuentis majore parte populi; ut Specul. *tit. de notor. crim. §. 8. n. 12.* Salycet. in *L. ea quidem. c. de accusat. n. 41.* Gomez. *L. 3. var. c. 1. n. 48.* Passer. *l. c. n. 6.* Altero (dum sermo est de notorietate facti) si testes, saltem duo omni exceptione majores, jurati, & parte citata judicialiter examinati de delicti existentia, & simul notorietate ex proprio sensu deponant; Wiestn. *num. 7.* citatis Specul. *l. c. n. 17.* Masc. *l. c. concl. 1105.* Fagn. *n. 105.* vel, si sermo sit de notorietate juris, per authenticum extractum, aut attestationem judicialem. His itaque compertis, Judex ad judiciarii ordinis observantiam non constringitur, juxta clarostextus *c. ad nostram. de jurejur. c. super eo. de test. cog. can. prohibentur. §. his omnibus. 2. q. 1. can. Lotharius. ead. caus. §. 9.* ex ea ratione, quod ordo ille juris introductus ad veritatem indagandam & deprehendendam; adeoque dum ea notoria est, observatio illius non sit necessaria.

3. Tertiò requiritur, ut constito Judici de notorietate, is quoque de ea pronunciet, non quidem seorsim, sed in ipsa sententia, in qua, si illius mentionem non faciat, ea totusque processus sit nullus; Barbof. *de potest. Episc. alleg. 106. n. 18.* Tambur. *de jure Abb. Tom. 3. d. 7. q. 2. n. 19.* Reiffenst. *b. t. num. 264.*

*Quæst. 4. In quibus itaque in specie juris ordine non servato Judex procedere possit ad dicta crimina notoria punienda.*

**R** Esp. Primò, ut opus non sit accusatore aut denunciatore, juxta *c. evidentiæ. h. t. & c. manifesta. 2. q. 1.* sed Judex possit sine accusatore ex officio procedere ad ferendam contra notorium delinquentem sententiam,

2. Secundo, ut multò minùs opus sit libello; Gomez. *l. c. n. 42.* Farin. *l. c. n. 65.* Scaccia *de Judic. c. 79. num. 8.* Wiestn. *b. t. n. 9.* Arg. *clém. sape. 2. v. hoc autem. de V. S.* dum ibi dicitur, quod libellus ad summarium processum non requiratur, & consequenter multò minùs ad procedendum contra crimina notoria, quippe quæ, ne quidem summarium ordinem judicii requirunt.

3. Tertiò, ut neque opus sit citatione, saltem ubi delictum ita notorium est, ut nulla egeat probatione notorietatis, constetque evidenter, reo nullam excusationem, defensionemve, quâ delicti gravitas aliquo modo extenuetur, competere; Haunol. *l. c. n. 33.* Passerin. *l. c. n. 11.* Wiestn. *n. 10.*

4. Quarto, ut non requiratur productio, & examen testium ad probandum crimen, ut patet ex terminis, cum constito evidenter aliunde de veritate, ii frustra producantur; quamvis constito de veritate criminis, quia quandoque non satis adhuc constat de notorietate, ad eam probandam, adhibendi sunt testes, Reiffenst. *b. t. n. 256.*

5. Quintò,

5. Quintò, ut non requiratur sententia condemnatoria ad pœnam; sed sufficiat, ut Bossi. *in quomodo proced. in crim. not. n. 16.* Passer. *l. c. n. 12.* & alii apud Wiestn. & Reiffent. *n. 259.* loco illius præceptum Judicis pœnam reo dictantis, multoque minus requiratur, ut sententia hæc proferatur in scriptis cum aliis juris solemnitatibus; Gl. *in c. fin. de sent. & re jud. in 6. v. illustrum.* & *ibidem Franc. n. 6. limit. 9.* Innoc. *in c. ex parte. il. 1. de V. S. n. 1.* Farin. *l. c. q. 21. n. 115.* Gomez. *l. c. n. 45.* Reiffent. *h. r. n. 258.* Requirit tamen sententiam declaratoriam notorietatis delicti, (intellige, etiam si nulla adsit sententia condemnatoria ad pœnam, dum reus negat, delictum esse notorium, docent Passer. *l. c. Covar. in c. Alma, p. 1. §. 2. n. 2.* Farin. *l. c. n. 116.* Clar. *§. fin. q. 9. n. 8.* apud Wiestn. *l. c.* quin & Clar. *ibid. Fagn. in cit. c. vestra n. 96.* apud Reiffent. *n. 259.* asserunt, quòd, quidquid sit de jure, consuetudine observari, etiam in notoriis ferri sententiam, quod de sententia condemnatoria intelligere videntur.

6. Sextò, effectus notorii est, quòd in notoriis non admittatur recusatio Judicis tanquam suspecti. *C. proposuit, de appell. si pœna pro delicto, jure vel statuto aut consuetudine determinata est; secus, si indeterminata, seu arbitrio Judicis relicta; cum in ejus arbitrio commissis saepe rationabiliter possit esse suspectus, ne inordinato affectu ductus pronunciet pœnam æquo graviorem, ac illa possit reculari.* Wiestn. *n. 12.*

7. Septimò, quòd non cõcedatur appellatio, (intellige, ab intimatione seu dictatione pœnæ à Judice facta) sed ea non obstante, Judex procedere possit ad executionem pœnæ. *C. cum sit. §. fin. c. pervenit, c. consuluit. c. proposuit, de appell. eò, quòd in notoriis Judicis pronuntiatio juris sit potius executio, quam sententia; Specul. l. c. §. 8. n. 15.* Clarus *l. c. q. 74. n. 2.* Gomez. *n. 47.* Reiffent. *num. 260.* Wiestn. *n. 12.* quòd tamen ipsum limitandum est ita, ut appellatio locus esset ad pronuntiationem Judicis, si in ea non fieret expressa mentio notorietatis, item à sententia declaratoria notorietatis criminis, dum essent, quæ eam tollerent aut obfuscarent; v. g. dum confessus crimen confessionem suam in appellatione diceret erroneam, non spontaneam, sed metu extortam, uti & si appellatione interposita, Judex, ad quem inhibuisset, ne Judex, à quo procederet ad executionem, recurrere potest pro executionis intimatæ revocatione ad Judicem, ad quem fundamentum hujus limitationis est, quòd, ut ait Papa *cit. c. consuluit, de appell. multa dicuntur notoria, quæ non sunt.* Unde etiam cum Salycet. *in L. ea, qua. c. de accus. num. 93.* Fagn. *in c. vestra de cobab. Cler. cum mulier. n. 102.* & Claro *l. c. q. 9. n. 5.* aliique passim monent Judices, ne delicta temerè asserant notoria, honestiusque acturos, si, quantumcunque delictum videatur notorium, super ejus tamen notorietate quam plurimorum commode possunt, testium depositiones recipiant, & citatione monitioneque omissa, non facile ad condemnationem, executionemque procedant, ne se periculo statutz pœnæ depositionis ab officio exponant, si de notorio nequeant docere; ita Wiestn. *h. r. n. 14.*

Quæst. 5. Quando nam & quotupliciter dicatur quis deprehensus in flagrante, & num contra eum procedi possit, non servato juris ordine.

R. Resp. Ad primum: In flagrante deprehensus dicitur delinquens, si in actu ipso deli-

Re. P. Lemr. Jur. Can. Lib. V.

cti, v. g. actualis fornicationis, furti &c. deprehenditur; idque vel ab ipso Judice extra judicium, aut exercitium jurisdictionis; cum v. g. monitus, Titium tali die & loco delictum committere, assumptis secum testibus, illuc accedit, & deprehendit illum in actu delicti; vel sedens pro tribunali, aut aliàs jurisdictionem exercens, adstantibus aliis, ipse cum aliis evidenter advertit, ab aliquo committi crimen; v. g. testem in judicio falsum deponere, Advocatum prævaricari; vel alium audit blasphemantem! vel denique ab ipsis ministris justitiæ, aliisve deprehensus, statim ad Judicem ducitur.

2. Resp. Ad secundum: Contra talem quoque procedi posse non servato, saltem in omnibus, juris ordine, habet communis, ut ait Reiffent. *h. r. num. 268.* eò quòd, ut Gl. *in c. cum non ab homine. de judic. v. deprehensus;* in flagrante deprehensus æquiparetur delinquenti notorio, quamvis non in omnibus; dum non pati modo in memoratis tribus casibus procedi queat, sicuti in delicto notorio, nimirum nullo ex iis, quæ alias in ordine juris circa eum servari debent, servatò; nam licet, dum in oculis ipsis Judicis versantis in exercitio jurisdictionis, & præsentia plurimum circumstantium opus non sit accusatione aut denunciatione; neque productione & examine testium, aliave probatione vel termini ad se defendendum assignatione, neque etiam condemnatione per sententiam propriè talem prolatam cum aliis solemnitatibus juris, sed pœna imponi possit per simplex decretum vel præceptum. Quod idem dicendum videtur de secundo; eò quòd talis Judicis, etiam extra judicium versantis, & ab eo ad hoc assumptorum testium ocularis inspectio actu delinquentis circa aliud eorum examen inducat probationem criminis evidentem, & sufficientem ad causæ decisionem; procedendumque ad pœnæ inflictionem, ut Specul. *l. c. n. 12.* Salycet. *n. 91.* Farin. *q. 21. n. 158.* Gomez. *l. c. c. 1. num. 48.* apud Wiestner. *num. 16.* His non obstantè, quòd, ut Idem ait, nimirum, quòd, si in hoc casu deprehensus seu reus neget delictum, aut illud in conspectu judicis commissum, punitionem non præcitantam; sed recipiendas delicti probationes; cum non appareat, qualiter reus verosimiliter, aut etiam rationabiliter id negare possit. Unde potius tali negatione tanquam frivola contempta sine ulteriore probatione ad punitionem delicti progredi posse videtur. Nihilominus quoad tertium, dum delinquens non à Judice, sed à ministris justitiæ, aliisque deprehensus, ductus ad Judicem est, recipiendi sunt testes super delicto, & apprehensione in flagrante, examinandusque ipse reus; & si delictum simpliciter sine ulla excusatione, & defensione fateatur, pœna ei secundum facti & personæ qualitatem decernenda; si verò defensionem aliquam adferat, quæ pœnam excludat vel diminuatur, v. g. quòd ad sui defensionem occiderit alium, quòd rem subripuerit in compensationem crediti, quòd alià viâ consequi non potuerit, terminus ad exceptionis suæ probationem ei prorogandus. Si denique nihil ad sui defensionem asserat, sed purè delictum negat, repetendi sunt testes, & siquidem ab eis convictus plene, deveniendum ad pœnam infligendam. Ita fere Wiestner. *n. 17.* de cætero, ut idem *n. 18.* an in flagrante deprehenso, postquam delictum extra, vel in tortura confessus, aut de eò legitime convictus, pœna infligi possit, sine prævia sententia controvertunt, Abb. affirmante hoc ipsum. *Glof. in L. §. Crus fustium, v. ead. ff. de his, qui infam. notant.* & Covar. *in c. alma mater. de sent. excom. in 6. p. 1. §. 1. n. 9.* sic in plerisque locis

locis observari attestante, Claro tamen *l. c. n. 4. Farin. n. 153.* exigentibus sententiam tamen sine solennitatibus in jure præscriptis prolatam sive decretum de pœnæ executione, à quo tanquam juris executione appellationem negant, sed tantum ab excessu pœnæ judicis arbitrio infligendæ.

*Quæst. 6. Accusatio qualiter definiatur?*

**R** Esp. Accusatio propriè, prout hic accipitur pro actione criminali, definitur, quòd sit criminis alicujus ad judicem competentem legitimè facta delatio vindictæ publicæ causâ, ita ferè ab omnibus communiter dicitur, *L. 9. L. 16. L. 20. C. de his, qui accus.* Dicitur primò: *crimini delatio*: in quo adhuc convenit cum actione civili, quæ & ipsa accusatio civilis dicitur, *L. 4. C. de edendo.* possunt enim crimina non tantum criminaliter, sed & civiliter deduci in judicium, & institui circa illa actio. §. *in summa, Inst. de jure jurando.* quamvis, qui aliàs in causis civilibus dicitur simpliciter actor, in criminalibus dicitur accusator, *L. cum prior. ff. de judiciis.* Laym. *L. 3. tr. 6. c. 1.* convenit item cum denunciatione, cum & per hanc crimen deferatur ad judicem; differt tamen per hoc ab inquisitione, utpote quæ sit ab ipso judice ex officio illius; accusatio verò ad instantiam inchoatam. Dicitur secundò: *ad judicem competentem*, qualis de jure civili in criminalibus non est Magistratus municipalis, sed qui jurisdictionem criminalem vel merum imperium habet. Lauterb. *in ff. de accus.* & quidem in eo loco, ubi accusatus seu reus habet domicilium sive originis, sive habitationis, *L. 1. & 2. C. de jurisd.* & ibi Brunnem. *L. 1. C. ubi de crim. mer. p. 5. dec. 299.* vel ubi deliquit, *cit. l. 1.* quem locum delicti forum principaliter dicit Carpz. *q. 110. n. 47.* vel forum sortitur de consuetudine, ubi reperitur. Lauterb. Dicitur tertio: *legitimè facta*: quo verbo continentur omnia, quæ ad ejus formam requiruntur. De quibus *quæst. seq.* Dicitur quartò: *publica vindictæ causâ*, ut nimirum ob bonum publicum, ad terrorem & exemplum aliorum reus puniatur publicè pœnâ temporali, aut pecuniaria sive applicanda, vel privatione dignitatis, officii, beneficii, atque ita licet per hoc non differat ab inquisitione, differt tamen ab actione seu accusatione civili, quæ non ad vindictam publicam, sed solum ad commodum & satisfactionem accusantis, alteriusve injuriam vel damnum passî intentatur.

*Quæstio 7. Quæ forma accusationis criminalis instituenda?*

**R** Esp. primò de jure communi ad formam accusationis (sive accusator sit advocatus fisci, sive privatus) requiritur, ut fiat in scriptis *L. 3. ff. h. r. ant. offeratur. c. de lite cont. can. 1. caus. 2. q. 8.* atq; ita hodièdum accusatores & reos solere petitiones, & intentiones suas in scriptis offerre, ait Lauterb. *ad ff. h. r. §. 15. in fine.* idque tum, ut constet, quid accusator probare debeat, & ut nihil mutari possit, si videat se in probatione deficere. *Less. l. 2. de just. c. 30. n. 2.* in fine. Pirh. *h. r. n. 2.* tum ut judex, qui sententiam conformiter allegatis in accusatione formare debet, eam faciliùs, & sine errore concipiat. Nihilominus vigore hodièrnæ consuetudinis, in levibus delictis necesse non esse, ut in scripto fiat accusatio, facile asserunt DD. & in specie Sanch. *L. 6. conf. d. 50. n. arg. L. levia. ff. h. r.* sed ut etiam in gravibus possit fieri sine scriptura, vivâ voce, testantur Clarus *§. fin. q. 12. n. 6.* Salycet. *in l. penultima c. h. r. Azor. p. 3. l. 13. c. 19.* Pirh.

*l. c. Reiffenst. h. r. n. 6.* idque secundum Constit. Carol. V. *n. 89.* teste Lauterb. *l. c.* modò tamen accusatio oretenus prolata statim per notarium seu actuarium publicum, in scriptis redigatur, *Quin &* ut idem cum Carpz. *pr. crim. q. 106. n. 77. ait,* quòd in foro Saxonico & Wirtembergico litium abbreviandarum causâ accusator & reus regulariter viva voce accusare & se defendere jubeantur. Ubi verò delictum per libellum accusatorum ab accusatore in judicium deferendum, ut is tanquam ineptus ex officio judicis rejci non possit aut debeat; in eo exprimi debet nomen judicis, ut appareat, num competens sit; cum si talis non sit, processus ab eo institutus latæque sententia sine nulla, juxta *L. 1. §. l. fin. c. si non compet.* Item nomen accusatoris & accusati *L. 3. ff. h. r.* ut constet, num sint legitimi seu tales, qui accusare & accusari possunt. Item species delicti, ut judex pro qualitate illius pœnam statuere possit, *cit. l. 3.* Item accurata facti narratio, secundum omnes circumstantias, nimirum quoad personas complices, locum, certumque tempus, puta anni, mensis, *can. fin. §. libellorum caus. 2. q. 8.* & *L. libellorum 4. h. r.* ita ut si unum ex his omisum, libellus tanquam vitiosus rejiciendus. *Gail. L. 1. obser. 64. n. 9. §. seq.* Clar. *L. 5. ff. fin. 4. 12.* hæc omnia de substantia accusationis esse dicens. Idque ex ea ratione, tum ne accusatio reddatur vaga, & obscura; tum ne accusato adimatur occasio facilius se defendendi, dum nimirum difficulter probare posset negativam, ita determinatam ad locum & tempus certum, nec testes convincere falsitatis; tum etiam, ut judex videre possit, num crimen & accusatio sint præscripta. Regulariter tamen opus non est, ut exprimatur hora aut dies, *L. 3. ff. h. r.* Lauterb. *§. 16.* Reiffenst. *h. r. n. 9.* nisi tamen, ut iidem cum Farinac. *de reorum defens. 3. c. 3. n. 7.* dicta expressio diei & horæ nisi accusatori facilis, & accusato utilis & necessaria sit, eò quòd exinde defensionem sui deducere velit, & possit; v. g. ostendendo se illa die aut hora in illo loco non fuisse; ac proinde accusatus illam expressionem exigeret: ut etiam quia contingere posset, ut valor processus ab illa die dependeret, dum v. g. judex ea die fuisset suspensus ab officio, vel accusator inimicus accusati, vel quia delictum ratione diei, in quo commissum esset, specialiter punibile. Lauterb. *in ff. h. r. §. 15.* Secundò de jure communi requiritur inscriptio seu subscriptio accusatoris, quâ is subscribat in pœnam talionis, obligando se ad crimen à se objectum probandum, vel si in probatione deficeret, ad subeundam pœnam eandem, quam reus subiturus sit, si delictum probetur, *c. super his, h. r. can. 2. & 4. caus. 2. q. 8. L. fin. c. h. r. L. ult. c. de accus. §. ibi gl. v. vinculum inscriptionis.* Sicque jure veteri Romano accusatores statim libello oblato subscribebant, sic statutum ex ea justissima ratione, ut refrænaretur temeritas facili profilitentium ad accusandum, dum sciebant, accusationem calumniosam seu falsam non fore inultam, *L. ficuti ff. de accus.* Verùm hodièdum hæc inscriptio solennis (salkem in judicio & foro sæculari) per non-usum seu desuetudinem est abolita, & pœna talionis in pœnam arbitrariam commutata, ne hominibus ab accusando deterretis propter onus illud probandi sub tali periculo subeundum, delicta manerent impunita. *Clar. l. 2. c. 9. n. 9. Gail. l. 1. de pace publica. c. 9. n. 3. Covar. Var. resol. l. 2. c. 9. n. 9. Felin. in cit. c. super his, n. 5. h. r. Pirh. h. r. n. 2. Gondel. de jure novo l. 1. c. 14. v. quod dixi. Lauterb. ad ff. h. r. §. 17.*

Ubi

Ubi etiam cum *Mev. p. 3. decis. 294. ait*: quod dicitur inscriptioni successerit satisfactio, seu cautio fideiussoria ab accusatore ab initio præstanda tam iudici, quam reo pro impensis, damnis, injuriâ accusato causatis per accusationem temerariam falsam, aut probatione destitutam. Et ab hac satisfactioe præstanda, nullam (etiam si sit Princeps) immunem esse juxta *const. crim. a. 14.* Addit tamen Officiales & Procuratores fiscales, dum criminum reos accusant nomine publico, nullam hodie præstare solere cautionem, *arg. l. 2. §. 2. ff. de fundo dotati.*

Dixi jure saltem civili; nam in foro Ecclesiastico, & jure canonico adhuc necessaria est istiusmodi inscriptio, prout sumitur ex *c. super his. & c. qualiter h. t. Host. in summa ibid. Clarus L. 1. q. 12. n. 18. Less. l. 2. c. 30. n. 9. Pirh. h. t. n. 2.* Quin & si convinceretur quis, quod innocentem verè malignosè accusasset, aut denuntiasset, eum pœnam talionis adhuc subire debere, vi constitutionis Pii V, cum primum. innovantis pœnam talionis; eamque, etsi solum loquatur de accusatione de criminibus Sodomix, blasphemix, concubinatus, extendi à Passerino. *Tribunal reg. q. 7. n. 44. testatur Reifensht. h. t. n. 11. qui etiam n. 12. addit certum esse, pœnam talionis adhuc locum habere in locis & regionibus, ubi speciatim de ea exstant statuta, ut ea in suo ordine exstare ait. De cetero casus quosdam, in quibus nec de jure civili, nec de jure canonico dicta inscriptio necessaria, adeoque pœna talionis locum non habeat, exceptos & recensitos vide à Gl. in c. super his h. t. v. oportet inscribi. & Host.*

*Quæstio 8. Num accusationi præmittenda monitio, aut fraterna correctio?*

**R**esp. Affirmat id ipsum Sylvest. *V. accusatio. q. 3.* juxta illud *Matth. c. 18. v. 14. Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum.* Negant cum *glos. in c. licet de Simon. V. inscriptio. D. Thom. in q. d. 19. q. 2. a. 3. Quæstionum. 1.* Distingunt cum communiore Sanchez *l. 6. conf. dub. 28. n. 6. Sess. l. c. n. 12. Wiestn. h. t. n. 42.* ita ut ex Lege caritatis præmittenda sit monitio secreta, dum crimen occultum, certaque spes est delinquentem illa admonitione corrigendum, & damnum tertio alicui privato vel reipublicæ illatum, aut impendens, justa satisfactioe compensandum, aut impediendum, maximè si persona sit honesta. Secus verò si publicè diffamatus, aut reipublicæ, vel etiam privato grave damnum imminet, aut illatum, quod privata monitione non impediendum aut refarciendum prævidetur, aut rationabiliter judicatur. Quia in hoc casu malum publicum privato est præferendum. Verum tamen num peccetur graviter, & quidem sub obligatione restituendi, non conveniunt AA. Affirmativam, seu quòd peccetur, accusando de peccato occulto non præmissa monitione fraternali privatâ, cum *Soro L. §. de justitia, q. 5. a. 1. & q. 6. a. 2.*, tenent quidam Recentiores, etiam si delinquens jam emendatus, vel spes emendæ, & aliunde nullum damnum reip. vel alicui tertio ex omissione accusationis imminet. Negativam cum *Mercado de contrab. l. 6. c. 9. & aliis sequitur de Lugo d. 38. §. 1. n. 8.* eò quòd usus quotidianus probet, quòd similes accusationes, & denuntiationes fiant sine scrupulo: ex ea etiam ratione, quòd viâ punitivis (in ordine, ad quem instituitur accusatio;) diversa sit à viâ privatæ & fraternalis correctionis, quæ

solum tendit ad bonum privatum delinquentis; illa verò intendat bonum commune reipublicæ, ne scilicet invalescant crimina, deterrendo alios ab iis committendis quòd bonum, utpote prævalens privato, semper intendere potest accusator, licet obiter simul intendat commodum proprium. Hinc ad accusationem, de qua hic, requiritur, ut fiat ob bonum publicum, publicamque vindictam, qua à criminibus perpetrandis deterreantur criminosi, dum vident iis pœnam publicè infligi. Quòd si fieret solum ad satisfactioem, & utilitatem illius qui damnum passus est, jam non actio criminalis, sed accusatio & actio civilis foret, quæ, ut dictum, non requirit inscriptionem, nec solennitates, quas actio criminalis. *Gonz. in c. 1. h. t. n. 1.*

*Quæstio 9. Quinam criminaliter accusare possint?*

**R**esp. Omnes, qui ex natura rei non impediuntur, neque specialiter à jure prohibentur accusare. *Clar. pr. crimin. §. fin. q. 14. n. 1. Farin. p. 1. l. 2. tit. 9. 12. n. 18. Durand. in spec. part. 1. h. t. Pirh. h. t. n. 3. Lauterb. l. c. §. 2.* accusare siquidem, de jure civili est de genere permissorum, & quòd jure non est prohibitum, intelligitur esse concessum. *c. 2. de transl. Episc. juncta glos. V. non incurritur.* Unde hanc facultatem subditi à Principe impetrare necesse non habent, cum quòd Lege concessum, specialiter impetrandum non est, *l. unic. de thesaur.* nisi forte jure quodam statutario generaliter prohibitum esset, sine speciali Principis concessione, aut Judicis decreto accusare criminaliter. Notanda tamen hic, quòd ad potestatem accusandi, distinctio inter delicta publica & privata, cum omnibus, & cuius de populo (intellige non tantum civibus, sed & forensibus, ut probabilius de Lugo, *cit. d. 38. t. 2. n. 12.* cum *Fagund. in præc. decalog. præcep. 3. c. 48. n. 1.*) regulariter competat potestas accusandi de publicis, juxta *§. 1. Inst. de Publ. judic.* eò quòd hæc puniri publicè spectet ad utilitatem publicam. Talia autem sunt, quæ directè vergunt contra Deum, resque divinas; ut blasphemia, apostasia, hæresis, simonia, magia, sacrilegium, aut contra majestatem Principis vel reip. ut perduelliones. aliæque læsæ majestatis crimina, ut sunt crimen peculatus, fraudatæ annonæ, falsæ monetæ &c. vel quæ, licet contra privatam personam committuntur, jus vel consuetudo pro publicis haberi voluit, *Farin. p. crim. q. 18. n. 17. Haun. tom. 6. de 7. & 7. t. 2. n. 2. & 3.* qualia sunt, homicidium, adulterium, veneficium, crimen falsi. De delictis verò privatis, (qualia sunt, quæ privatam vel propriam injuriam spectant quæque à jure vel consuetudine dictam denominationem publicorum non receperunt, ut sunt furta, expilatio hæreditatis, aliæque injuriæ citra damnum publicum, seu irrogatum reipublicæ) accusare criminaliter non competit cuius, sed iis solum, ad quos pertinet, seu qui damnum vel injuriam passi sunt in se vel suis; nomine autem suorum veniunt personæ conjunctæ seu propinquæ, ut conjuges, parentes, consanguinei, secundum aliquos ad septimum usque gradum; secundum alios ad decimum in linea recta, & usque ad septimum in linea transversa; alii ad sextum; alii communius & verius cum *Fagund. l. c. n. 10.* de *Lugo l. c. n. 11.* ad quartum. Quamvis tamen Clericus injurias suas & non suorum prosequi possit accusando, cum protestatione, se id non facere, ad expectandam vindictam & pœnam sanguinis, vel potius denuntian-

do solum qualiter cum majore proprietate loqui, Sanch. l. 6. *cons. c. 1. dub. 30. n. 3.* ait de Lugo l. c. Alii tamen cum Fagund. l. c. n. 11. & 12. non agnoscunt in hoc puncto differentiam inter denunciationem, & accusationem cum dicta protestatione, utuntur nomine accusationis simpliciter, & magis, ut putant, proprie ad c. 2. de homic. Et hæc distinctio inter delicta publica & privata magis est de jure civili quam canonico, quo omnia delicta censentur publica, ita ut sublatis hodie dum Locorum statutis & consuetudinibus nullum inter eas sit discrimen, & judex procedere possit ex officio, admissis ad accusandum quibuscumque, de cætero ad hoc non inhabilibus, uti monent Clar. Farin. paulò ante citati apud Wiestn. h. t. n. 26.

*Quæstio 10. Quinam accusare prohibeantur?*

**R** Esp. Ab accusando criminaliter prohibentur plura hominum genera, tum ex natura rei, tum vi legum ob varios defectus & causas, puta ob defectum rationis vel ætatis, ob sexum, statum, officium, delictum, infamiam, excommunicationem, inimicitiam, suspicionem calumniam, conjunctionem sanguinis, affinitatis, reverentiam, quæ congesta à Gl. in cap. si legitimus. h. t. & l. 8. ff. qui accusare possint. sic itaque:

1. Primò ex natura rei accusare non possunt ob defectum animi seu rationis furiosi & mente capti, cum, quæ geruntur, non intelligunt, l. dum modo. §. 1. ff. de procurat. Et ob defectum furdi & muti à natura. Decian. tract. crim. l. 3. c. 1. n. 1. & 3. Reiffenst. h. t. n. 21. & Wiestn. n. 27. cum communi arg. l. 1. §. 3. de postul.

2. Secundò ob defectum ætatis repelluntur, non tantum non egressi infantiam, sed & pupilli, alique impuberes infante majores. l. qui accusare. ff. hoc tit. can. prohibentur. can. 2. q. 1. nisi quòd hi, adhibito tutoris consilio & consensu, suas suorumque injurias prosequi possint, ut liquet ex L. 2. §. 1. ff. hoc tit. Pirh. h. t. n. 4. §. 3. Wiestn. n. 27. Lauterb. ad ff. h. t. §. 3. Brunnem. ad L. 4. C. de auth. prest. n. 1. uti & de crimine Læx Majestatis accusare, L. 8. H. ad L. Juliam Majest. Wiestn. l. c. sed neque puberes, minores tamen 20. annis soli sine autoritate curatoris, non nisi in dictis casibus ad publicè accusandum admittuntur; cum eadem tamen autoritate in aliis casibus seu delictis accusate permittantur, modo ejus sint ætatis, ut postulare & in publicum procedere possint, nimirum 17. annorum, ut Reiffenst. h. t. n. 6. citans L. 1. §. 3. ff. de postuland. & L. 4. de auth. prest. Quin & indistinctè omnes, modò annum 14. excefferint, admitti ad accusandum, testantur Pirh. & Reiffenst. cum Claro §. fin. q. 14. n. 7. his non obstante L. 1. §. 6. ff. ad L. Juliam de adulteriis. Ubi specialiter ab accusatione adulterii excluduntur minores 25. annis, nisi eorum thorus proprius fuerit violatus; nam dum exceptio unius solius, præsupponit & firmat regulam, quoad alia crimina exclusio unius est exclusio aliorum, ac ita per hoc ipsum probatur, posse illos accusare de cæteris aliis criminibus.

3. Tertio ob sexum utpote verecundiores facilioremque ad concipiendum odium vel amorem, repelluntur ab accusando mulieres per L. cit. l. 8. ff. hoc tit. & L. 12. c. qui accus. non poss. excepto tamen iterum casu, quo sibi, suisque illatas injurias prosequi possunt per easdem leges, item crimina Læx Majestatis, & quæ huic æquiparantur, ut hæresis, per c. vergentis: de heretic. aliæque quædam cri-

mina atrocissima & excepta, qualia quæst. præced. n. 2. enumeravimus, iisque similia aut affinia, Farin. pr. crimin. a. 10. n. 16. Pirh. n. 5. Reiffenst. n. 30. §. Quarto ob conditionem, v. g. servilem, dum enim servi, agere nequeunt in civilibus juxta l. 6. de judiciis multò mitius id poterunt in criminalibus, juxta can. 6. & 7. causà 3. q. 5. & l. 26. c. ad L. Jul. de adult. Excipiuntur tamen criminalia Læx Majestatis divina ac humanæ, fraudata annonæ, falsatæ monetæ, Lauterb. ad ff. h. t. §. 3. Wiestn. n. 28. per L. 7. ff. ad L. Juliam Majestatis. item interfecio domini sui, cujus necem accusatione vindicare intendit servus, juxta L. 1. C. de prec. Imperat. offerend. item crimina suppressionis tabularum testamenti, quò dominus servo libertatem reliquit, cit. l. 1. & l. 7. ff. ad L. Corneli. de fals. ut iidem, & sic quoque ob conditionem ab accusando repelluntur pauperes minus quàm 50. aureos habentes, per l. non nulli h. t. Pirh. n. 6. Lauterb. h. t. §. 4. ob periculum perversionis L. 8. ff. ad legem Jul. Majest. paupertas enim sæpe cogit ad illicita.

4. Quinò, ob statum: sic filios familias accusare non posse sine consensu patris, (excepto tamen adulterio ab uxore commissio, ut Lauterb. l. c. cit. L. 37. ff. ad legem Juliam de adult.) tenent cum Gl. in L. fin. v. necessitate. c. de bonis que liber. Farinac. p. crim. tit. de accusat. q. 22. n. 10. Bart. in L. 6. ff. ad L. Juliam de adult. Alii ut Lauterb. ad ff. h. t. §. 3. Wiestn. n. 28. per l. cit. 7. ff. ad L. Jul. Majest. probabilius censent, posse id illos sine consensu patris, ex ea ratione, quod accusatio spectet ad jus publicum, & causam publicam; & in iis verò, quæ ad jus publicum pertinent, non attendatur jus patriæ potestatis, juxta L. 9. ff. qui his, qui sui vel alieni. Item ob statum clericalem vel religiosum accusare criminaliter non possunt clerici & religiosi, can. 51. c. 2. q. 7. can. 6. caus. ead. & q. præsertim ubi infligenda pœna sanguinis. Unde licet accusare possint clerici laicos ad atendum suam, (non tamen suorum) injuriam, (ut de Lug. l. c. 1. cum Fagund. l. c. art. 10.) ita & monachi seu religiosi (& utilitas monasterii sic exigit, ut Pirh. h. t. n. 10. not. 3. juxta c. ex parte h. t. & Innoc. & Abb. ibidem,) si verò est causa sanguinis, protestari debent, se non agere ad vindictam sanguinis, sed præcisè ad averendum damnum; cum alias peccent moraliter, & si mors vel mutilatio sequatur, fiant irregulares, juxta c. 21. de homic. & c. 2. eod. in 6. de Lug. cit. n. 11. cum Fagund. Reiffenst. h. t. n. 19. De cætero monachi seu religiosi, prout statuitur c. ex parte h. t. non sunt repellendi ab accusatione sui Abbatis seu Prælati, non obstante obedientia, subjectione & reverentia ei debita, nisi causa aliqua rationabilis (quia v. g. sunt excommunicati, vel inimici, vel conspiratores, ut Glof. in c. ex parte. v. aliarationabilis) impediatur. Præmissa tamen summatia cognitione, num accusans procedat malo vel bono zelo. Extenditurque hæc potestas accusandi, vel denuntiandi proprium Prælatum, ad conversos Laicos, utpote qui non sunt propriè Laici, & quorum non minus, quàm aliorum interest, habere Prælatum non criminosum. Abb. in cit. c. ex parte n. 2. Pirh. h. t. n. 14. Arg. L. 3. h. t. Sed neque necesse est, ut quidam volunt, petere prius & impetrare ab ipso Prælato vel Episcopo licentiam & potestatem hanc accusandi, cum ea ab ipso jure concessa sit cuilibet de monasterio, cit. c. ex parte, & c. illa h. t. Sanchez. L. 6. moral. c. 12. num. 19. Pirh. notab. 3. ex ea etiam ratione, quòd Prælatum diffamatum

diffamatum de crimine, aut mala administratione accusando, procuretur utilitas, avertanturque gravia damna monasterii, cuius summè interest, non habere Prælatum malum, seu, ut inquit Pirh. *Lupum pro pastore*. Jo-And. in *cit. c. ex parte*, num. 2. Abb. n. 9. Cui tamen, pendente accusatione in licitis parendum, non tamen in eo, si præciperet, ut ab accusatione desistant; quia præceptum hoc iniquum est. Abb. in *cit. c. ex parte* n. 4. Sanch. l. c. n. 13. Pirh. n. 10. Porro, quod spectat expensas faciendas, dum Religiosi accusant Prælatum suum; quæ necessariæ sunt ad litem seu causam accusationis prosequendam, subministrandæ sunt ex rebus monasterii, usque dum dicta causa finem debitum consequatur, juxta *c. ex parte*. & Gl. *fin. ibidem*. & Abbas n. 9. Uti etiam Prælato accusato debentur expensæ à monasterio ad defendendum se, quia non minùs interest monasterii, non deponi Abbatem culpæ expertem. Pirh. n. 12. cum Gl. in *cit. c. ex parte. v. alia*; idque etiam è motus & suspensus ab administratione, modo verè & realiter non sit depositus, & privatus titulo, Abb. l. c. n. 5. Sanch. l. c. n. 24.

7. Sextò, propter officium, quod gerunt, accusare nequeunt milites in castris merentes, ne hac occasione à signis & castris, & sic à defensione reip. avocentur. *L. 8. ff. h. t. Decian. tr. crim. l. 3. c. 15.* & ibid. de Lug. d. 18. t. 1. n. 12. Wicfn. h. t. n. 30. Reiffenst. n. 20. Lauterb. h. t. §. 4. qui tamen sic limitat; nisi crimen suum, suorumque injuriam contineat. Item Magistratum gerentes accusare non possunt, ne eorum potentia accusati opprimantur; & quia eos, qui ob potestatem in alios vocati nequeunt in iudicium, posse alios in iudicio accusando provocare, non videtur æquum. Quod proinde intelligendum de Magistratibus supremam potestatem & jurisdictionem exercentibus, & alium superiorem non recognoscentibus; non verò de iudicibus inferioribus, & ordinariis superiorum recognoscentibus. Lauterb. l. c. & AA. paulò ante citati, juxta *cit. l. 8. L. nec Magistratus. ff. de jurejur.* & *L. 4. c. de offic. pref. prator. orient.*

8. Septimò, ob delictum proprium & suspicionem de eo, v. g. de crimine falsi, aliòve diffamatus, etsi nondum accusatus & condemnatus, accusare nequit alium. *Clar. §. fin. q. 14. n. 9. Reiffenst. n. 22. arg. can. 17. §. 18. caus. 2. q. 1.* Multòque minùs id potest, qui jam actu accusatus pendente hac accusatione, donec priùs se purgaverit, absolutùsque fuerit & declaratus innocens. Et sic in specie, accusatus accusatorem reaccusare nequit de pari vel minori crimine: Secus est de crimine majore, de quo accusatorem accusare potest. *arg. L. 19. c. de his, qui accus. non poss. l. ii. qui. ff. de pub. judic. Pirh. n. 6. Lauterb. §. 4. Reiffenst. n. 23.* Excepto hic iterum crimine lætæ majestatis; item nisi suam, suorumque injuriam prosequantur. AA. *cit. per LL. cit.*

9. Octavò, ob suspicionem calumniæ inferendæ, ab accusando arcentur, qui semel falsum testimonium subornati dixerunt. *L. 9. ff. h. t. Quique semel prævaricati & calumniati sunt. L. 7. §. 3. ff. h. t. L. 5. ff. de prævar. Lauterb. §. 4. Item turpem querelam exercentes, dum duo judicia adversus diversos diversorum criminum reos subseripta habent. L. 16. c. de his, qui accusare, vel pro pecunia accusare, aut ab accusatione desistere parati. L. 4. ff. h. t.*

10. Nondò, criminosi omnes & infames, quales. *L. 8. ff. h. t. c. 17. caus. 6. q. 1.* cum hoc tamen

discrimine, ut jure civili arceantur tantùm infames infamiâ juris, id est, qui ob crimen iudicio aliquo publico infamiam irrogante condemnati. *cit. L. 4. ff. h. t.* De jure canonico etiam infames infamiâ facti, etiam citra accusationem & condemnationem. *arg. can. 17. §. 18. caus. 2. q. 1. juncto cap. 17. de sponsal. Clarus §. fin. q. 14. à n. 9. Farin. pr. crimin. q. 12. n. 17. Pirh. h. t. n. 5. Wicfn. h. t. n. 29. Reiffenst. n. 22.*

11. Decimò, propter excommunicationem majorem, quâ ligati, sicut agere nequeunt in iudicio, *c. 7. de judic. c. 1. de except. in 6.* ita nec accusare, cum accusator in causa propriè actor sit. *Pirh. n. 6. Reiffenst. n. 24. Lauterb. h. 4. §. 4.* Extenditurque hoc ipsum ita, ut etiam suam, suorumque injuriam accusando prosequi nequeant; Idem cum *Farin. l. c. n. 31.* servandùmque id ipsum in foro civili. *Clar. l. c. n. 26. Farin. n. 26. §. 28. Pirh. l. c.*

12. Undecimò, infideles & hæretici accusare nequeunt Christianos & Catholicos ob suspicionem calumniæ inferendæ. *can. pagani 25. caus. 2. q. 7. Pirh. h. t. n. 6.* qui etiam id cum glos. *ibidem V. accusare.* extendit ad crimina excepta. Quod tamen de hæreticis in locis, ubi illi mixtim cum Catholicis tolerantur, locum non habere videtur.

13. Duodecimo. Ob inimicitiam capitalem vel gravem, quam quis cum alio gerit, accusator esse non potest, ob vehementem suspicionem calumniæ, dum rationabiliter præsumitur accusare ex odio, & potius privatæ vindictæ causâ, quàm ex zelo justitiæ, *Far. l. c. n. 34. §. seg. Clar. §. fin. q. 14. n. 17. Pirh. h. t. n. 7. Wicfn. n. 35. juxta claros textus can. 2. caus. 3. q. 5. c. 13. §. 19. h. t.* non obstante, quòd, qui accusatur, dederit causam inimicitiae, qui & ipse excipere potest contra inimicum accusatorem, modò non ex fraude & dolo, ut contra eum excipere possit, dederit causam inimicitiae. *Pirh. l. c. Reiffenst. n. 25. cum Abb. in cit. c. 7. n. 5.* Extenditurque hoc ipsum per *c. 7. h. t.* ad cohabitantes vel multùm conversantes cum inimico accusati, utpote qui præsumuntur amici accusatoris, idèòque ejusdem cum illo affectionis. Unde præsumuntur quoque inimici illius, qui accusatur, per *l. 1. dist. 93.* etsi non capitales. Unde etiam non totaliter repelluntur à testificando, sed minor fides eis adhibetur, ut *Pirh. l. c. cum Farin. pr. crim. p. 2. l. 2. q. 13. n. 46.* De cætero potest quis inimicum suum ob injuriam & damnum sibi suisque illatum accusare: aliàs nemo possit alterum ob inflicta vulnera vel cladem sibi suisque illatam accusare, cum ex hoc plerumque inimicitia oriatur. *Reiffenst. n. 26. cit. Mascard. de probat. consil. 899. à n. 1. Monach. de præsumpt. L. 5. præsumpt. 43.* sic etiam, quamvis quis, qui tulit testimonium contra se (idem est de eo, qui accusavit, in causa criminali non possit postmodum accusare in eadem causa, quia præsumitur exinde orta inimicitia, ut *Pirh. h. t. n. 8. arg. l. 10. h. t.* poterit tamen id ipsum, si non sponte se obtulit ad testificandum, sed coactus secerit; cum cesset tunc præsumptio inimicitiae. *Pirh. l. c. in fin. cum Abb. in cit. c. 10. n. 14.*

14. Decimotertiò ob conjunctionem sanguinis, & affinitatem, amorèmvæ, accusare nequeunt in delictis gravibus, liberi parentes suos. *Nov. 115. c. 3. §. 3. L. 8. ff. h. t.* & è contra parentes, ascendentesque & descendentes. *l. 14. c. de his qui accusare.* Item fratres & sorores invicem, *L. 13. c. eod.* excipiuntur tamen structæ insidiæ vitæ, crimen lætæ Majestatis *cit. l. 14. juncta L. pennl. c. eod.* Item si suam suorumque injuriam prosequantur, ut *Lauterb. ad ff.*

ad ff. h. t. §. 5. sic ob reverentiam & ratione beneficia accusare prohibentur: Libertus patronum, ejusque heredem, L. 8. ff. h. t. alumnus educatorem, L. 17. c. h. t. discipulus præceptorem, L. penult. c. eod. Lauterb. l. c. vassallus & servus dominum. 2. feud. 33. c. 1. Pirh. n. 6. Azor. L. 13. c. 19. dub. 6. n. 2. familiaris eum, cujus familiaritati adhæsit. L. 20. c. de his, qui accusare. Wiclm. num. 33.

**Quæst. 11. An plures simul eundem accusare possint?**

**R**esp. Pro diversis casibus diversimodè: plures, quorum omnium interest, simul uno libello reum accusare possunt. Lauterb. in ff. h. t. §. 7. Carpz. pr. crim. q. 104. à n. 47. arg. L. 4. c. h. t. concurrentibus simul ad accusandum pluribus, quorum non omnium interest, potest ac debet Judex, cognita causâ, æstimatâque eorum qualitate, puta ætate, dignitate, moribus, aliisque circumstantiis, ex eo, quod interest, vel alia juxta de causâ, ex his eligere unum, qui ad accusandum admitatur. L. 16. ff. h. t. Lauterb. l. c. cum Gilhauf. a. 26. pr. crim. c. 3. p. 2. n. 3. instituta jam accusatione ab uno, supervenientes alii volentes reum in eodem judicio publico accusare, repellendi à judice, juxta L. 3. §. 1. L. 11. §. 2. ff. L. 9. c. h. t. Lauterb. l. c. id ipsum cum Carpz. l. c. n. 46. sic limitans: nisi prima accusatio fuerit deserta, vel alio modo, ne promoveretur, impedita. cit. L. 11. §. 2. vel nisi ex eodem facto plura crimina nascantur, & reus de eorum uno, de quo necdum accusatus, accusatur. cit. L. 9.

**Quæst. 12. Procuratores num accusare possint?**

**R**esp. Procuratores, Notarii, Advocati, similesve personæ minùs principales, jure communi, tam canonico, quam civili regulariter in causis civilibus, in quibus condemnato pœna capitalis, aliave corporis afflictiva decernitur, nomine ipsius principalis, accusare nequeunt. c. 15. h. t. can. 2. caus. 5. q. 3. ubi dicitur, in criminalibus accusator non nisi per se ipsum auditur. L. penult. §. 1. ff. de publ. judic. l. c. h. t. Menoch. de arbit. L. 1. q. 80. n. 1. & 2. Clar. §. fin. q. 32. n. 2. & 3. Pirh. h. t. n. 30. Lauterb. l. c. §. 13. Ubi etiam, quod ipsum procedat juxta L. 15. L. 3. c. ubi Senator. vel clara. licet accusator sit persona illustris & clarissima. Quamvis addat hodieum ex parte accusatoris, communiter admitti procuratorem; juxta ordin. crim. à 12. intellige non tantum ad excusandum principalem, ratione absentia, ut Pirh. n. 32. diluendâsque motas contra eum exceptiones, sed & ad agendum causam principalem, seu ad agendum, ut patet ex adjuncta ab eo ratione; quia nimirum hodieum necessitas inscriptionis, & pœna talionis, abiit in desuetudinem. Sed neque ex parte rei, ad defendendam ejus causam, in judicio criminali admittitur procurator, ubi agitur de pœna capitali, vel corporali afflictiva corporis. cit. L. penult. ff. de publicis judiciis, & AA. cit. bene tamen in causis criminalibus, dum reo imponenda pœna pecuniaria, similisve juxta L. 1. ff. an per alium. caus. appellat. Menoch. l. c. n. 119. Clar. l. c. n. 4. Pirh. n. 33. ex ea ratione: quòd, quando imponitur pœna pecuniaria, executio non fiat in persona rei, sed in bonis illius; ideòque nihil interfit fisci, utrum reus personaliter, an per Procuratorem compareat. Sic in specie admitti Procura-

torem, dum agitur de pœna relegationis, aliave minore, tenent per cit. L. 1. §. est. cum Glos. ibid. v. relegationem. Menoch. l. c. n. 103. Clar. l. c. n. 5. citatus à Pirh. n. 33. contra Abb. in c. veniens. h. t. n. 18. & 19. ubi, quòd in nullo judicio criminali regulariter intervenire possit Procurator, quam in quo imponitur tantum pœna pecuniaria. Sic quoque, quoties reus comparere per se nequit, vel impossibilitate facti, ut dum est universitas, quæ deliquit, vel impedimento juris, v. g. monialis, quæ monasterio egredi nequit; ita Pirh. l. c. cum Abb. in cap. veniens n. 14. Quin etiam dum reus carceri inclusus, vel extra territorium judicis per se comparere nequit; ut Bart. in cit. L. penult. §. ad crimen. ff. de publicis judiciis, n. 10. Quod etiam intelligendum videtur, dum agitur de pœna corporali, saltem dum reus tenetur in carcere; eò, quòd tunc judicium criminale eludi non possit, à reo nunquam durante processu per se comparente, ut Pirh. De cætero de Advocato omnino est aliud, utpote qui ad causam criminalem principalem, etiam dum agitur de pœna corporali, patrocinio suo in causis publicis defendere potest, ac debet; juxta L. 2. c. de exhib. & transmit. reis, & Ord. crim. a. 88. Lauterb. §. 13. Carpz. pr. crim. q. 105. & q. 115. nisi sit manifestus & famosus latro, Quamvis hodieum reo etiam non petenti dandus sit Advocatus, vel unus ex Assessoribus, juxta cit. ord. crim. eidemque liber ad reum concedendus accessus, qui, si denegetur, decernitur in denegantem Imp. decret. Laut. l. c.

**Quæst. 13. Qualiter inhabiles ad accusandum, repelli possint & debeant ab accusando, ut non valeat processus.**

**1. R**esp. Primò, inhabilis ad accusandum, vel quia infamis, excommunicatus, inimicus, etsi in judicio agere & accusare nequeat accusatorem suum, potest tamen excipere de inhabilitate ipsius, ac ita repellere eum ab accusatione, si ante litem contestatam opponatur: est enim talis exceptio dilatoria, & valet, quia rationem dilationis habet. Barth. in L. servus. ff. h. t. Clarus cit. q. 15. n. 3. Pirh. h. t. n. 17. Reiffenst. n. 32. Opposita verò post litem contestatam nihil prodest, seu effectum nullum habet, nisi reus, seu accusatus ignorârit hanc exceptionem sibi competere. Pirh. n. 15. cum Abb. in c. 1. h. t.

**2. R**esp. Secundo, potest quoque Judex, ac debet, accusatorem infamem, aut aliunde prohibendum, seu inidoneum accusare, ab accusando repellere, etiamsi nec accusatus, nec ullus alius contra talem accusatorem excipiat, idque ex officio, seu ratione reip. cujus interest, illegitimum accusatorem non admittere. arg. c. 1. h. t. Quòd si verò nec accusatus, aut quisquam alius contra eum exceperit, nec Judex ex officio illum repulerit, valet processus accusationis, & effectum habet. Clar. l. cit. n. 4. Pirh. n. 17. Reiffenst. l. cit.

**Quæst. 14. An, & qui obligentur accusare criminaliter?**

**1. R**esp. Primò, supponendo cum de Lug. d. 38. §. 1. n. 1. regulariter nunquam est obligatio accusandi accusatione propriè tali, ut distincta à denunciatione, (quæ qualiter ab hac distinguitur, dicitur e. seq.) siquidem omnibus, quæ ex omissione accusationis timeri possunt, satis providetur denunciando judicialiter delinquentem apud judicem vel fiscalem: atque ita opus non est, ut aliquis

aliquis sibi assumat onera accusatoris, quæ multa sunt & gravia, propter periculum deficiendi in probatione ex defectu vel malitia testium, & propter odium, inimicitias, expensas & similia, quæ accusatores consequuntur; ita de Lugo. Dixi tamen: *regulariter*: quia occurrere possent casus, etsi raro, in quo ex delicto grave damnum spirituale, vel etiam temporale immineret reip. quod denunciatione, monitione, aliove modo, quam accusatione, & instituto contra eum judiciali processu, averti non posset, quia v. g. non patitur moram probare crimen illud posset, ne aliàs objiceret se suspicioni calumniæ. De cætero extra talem casum obligatur disjunctivè, vel ad accusandum vel denunciandum crimen vergens in damnum grave reip. ita cum D. Thom. 2. 2. q. 68. à 1. Sylv. v. *accusatio*. q. 2. n. 3. Layman. L. 3. tit. 6. c. 3. n. 6. Pirh. h. t. n. 18. Reiffenst. n. 33. Et sic in specie tenentur ad accusandum, vel deficiat denunciantium fiscales, custodes, vigiles, & similes, nisi alio modo damnum illud avertere possint; cum non teneantur accusare vel denunciare, nisi in quantum necessarium, ad tale damnum publicum vel privatum avertendum, & bonum commune procurandum, de Lug. l. c. n. 3. Tenentur autem hi obligati ex officio denunciare vel accusare, ex justitia; cæteri ex caritate, vel alia virtute, ut idem n. 2. in fin. porro quoad obligationem denunciandi vel accusandi, non tam veniunt ea crimina, quæ sunt ratione quadam generali contra bonum commune, quatenus alii ex illis sumere possunt scandalum, ad similia perpetranda, si impunita relinquuntur, quam, quæ directè & immediatè sunt contra bonum commune, seu reipublicæ: ut schisma, proditio civitatis, crimen læsæ majestatis, expulsiō ærarii publici, hæresis, & spatios dogmatum contra fidem, quibus de Lugo cit. n. 2. annumerat peccatum aliquod turpe in religioso, quod probabiliter publicabitur & cederet in magnum religionis damnum.

2. Resp. Secundò, aliud est de criminibus privatis, taliter non vergentibus in damnum publicum boni communis; in iis enim agere & accusare nemo invitus tenetur, juxta L. unic. s. ut nemo invitus, etsi licitè posset: sunt siquidem plures casus, in quibus licitum est accusare, non tamen obligatorium, quos videre est apud Henriq. L. 3. de pœnit. c. 25. §. 9. Lit. G. sic, qui novit crimen alicujus, etiam graviter nocivum proximo, cujus damnum aliter ab eo averti nequit, quam denunciando vel accusando, etsi denunciare vel accusare teneatur ex lege caritatis, si sine suo gravi damno possit, non tamen ad hoc tenetur, cum lex caritatis non obliget, ad impediendum grave damnum, nisi id commode, vel saltem sine notabili damno proprio fieri possit; de Lugo l. c. n. 3. Sic etiam in specie nemo regulariter accusare tenetur de delicto contra se commisso, cum quilibet sit dominus propriæ famæ & bonorum fortunæ, adeoque condonare injuriam sibi illatam possit; nisi forte, prout id ipsum limitat de Lug. n. 4. cum Sor. & Navar. ita pauper esset, ut se suamque familiam alere non posset, nisi repetendo per accusationem bona sibi ablata. Idem est de injuria suis illata. Idem n. 5. quin etiam si delictum sit quidem contra bonum commune, non tamen ita graviter eidem nocivum, ut idem *ibid.*

R. P. Lewr. Jur. Can. Lib. V.

Quæst. 15. Num accusatione inchoatâ, desistere ab ea possit accusator, & quas pœnas desistens incurrat?

1. Resp. Primò, in civilibus accusator, dum agit de proprio solum suo interesse, desistere potest, de Lug. de jur. & just. d. 38. §. 1. n. 9. cum communi. In criminalibus quoque, dum accusator etiam post libellum judici oblatum, litemque contestatam deprehendit, se errasse accusando innocentem, qui falsò putavit esse reum, non tantum potest, sed & debet desistere. Idem est, si de innocentia accusati cœpit dubitare, & post diligentem inquisitionem perseveret dubitatio. Item dum videt, se crimen non posse probare, cum, si in hoc casu pergat accusare, vere calumniatur, Sylv. v. *accusatio*, n. 6. Wiestn. h. t. n. 47. Quamvis, ut hic addit ex Abb. in cap. fin. de calumniat. n. 5. in his casibus, ut calumniatorum pœnam effugiat, probare debeat, se justâ causâ aut probabili errore ductum ad accusandum; nunc autem legitimæ probationis copiam non habere, eò quòd v. g. testes mortui, sive absentes sint, aut fidem sefellerint, sibi que defecerint, Pirh. h. t. n. 20. cit. Lessio L. 2. de just. c. 30. n. 14. Item debere illum desistere, postquam Judex accusationem refutavit, seu rejectit, vel admissam rescidit; quia v. g. deprehendit libellum continere substantialem defectum; vel persona accusata talis est, quæ non potest sine gravi reip. perturbatione puniri. Tunc enim potest Judex vel Princeps accusationem inchoatam abolere, idque etiam si privatus ob injurias sibi illatas accuset, quia illius est damnum publicum cavere, etiam cum incommode privato. Quod tamen ob eandem causam non potest Judex inferior, sed solum accusationem non admittere, vel admissam suspendere, relato toto negotio ad Principem, & quidem non jure & potestate ordinaria, sed ex tacita quadam voluntate Principis, seu per episcopiam. Quin &, si agatur de injuria partis accusantis, non potest non accusationem admittere, etiam sub prætextu majoris boni, debetque jus parti dicere; cum ad eum non spectet principaliter promotio boni publici, sicut ad principem, qui etiam propterea potest accusationem factam abolere, seu rescindere, casu quo persona accusata censetur bono publico necessaria, vel valde conducibilis: Ita Less. l. c. n. 15. §. 16.

2. Resp. Secundo, in causis omnibus, etiam criminalibus, in quibus quis accusare non tenebatur, desistere potest ante libellum accusationis judici oblatum, idque etiam si publicè dixisset, se accusaturum, Pirh. n. 3. Wiestn. h. t. n. 46. Reiff. n. 51. arg. c. licet h. t. Quin &, ut de Lug. cit. num. 9. potest desistere non tantum gratis, sed & accepto pretio, (cujus contrarium est, si ex justitia tenebatur desistere; si enim tunc acciperet pretium, ut desisteret, venderet, quod ex justitia dare & facere tenebatur) estque ratio, quòd, ubi accusatio non est sub obligatione, etiam ejus prosecutio non est sub obligatione. Extenditque hoc Pirh. n. 22. notab. 3. ita ut, qui ante oblatum libellum professus est, se velle accusare, adhuc desistere possit, juxta cit. c. licet. etiam facta jam citatione rei, pro quo citat Abb. in cit. c. n. 6. & Bartol. in L. quæstum. ff. ad S. C. Turpilian. Non tamen desistere potest post datos fidejussores de lite prosequenda, Pirh. l. c. nihilominus etiam in hoc casu ab accusatione criminis publici, quam minatus est, libello nondum porrecto desistens, postea ad reum accusandum, de eodem

B

eodem crimine non admittatur amplius, Arg. cit. v. licet, & L. 6. c. de his, qui accusare. L. miles. ff. ad L. Jul. de adult.

3. Resp. Tertio, post litem contestatam, vel saltem post libellum, cui inscriptio facta, iudici oblatum acculator, (intellige etiam eum, qui accusare non tenebatur) si accusatio iusta est, impunè desistere nullo modo potest, juxta L. 15. §. 5. ff. ad S. C. Turpill. cit. L. miles. auth. qui semel c. quomodo & quando; ex ea ratione: quia eo casu contracta jam est obligatio probandi delictum, & perseverandi usque ad sententiam: cum inter sit reip. accusationem ceptam non intermittere, ut si accusatio vera est, delictum, si falsa, acculator tanquam calumniator puniatur; de Lug. l. c. Reiff. num. 50. Wiestn. n. 45.

4. Resp. Quarto, quod attinet ad pœnas desistentium ab accusatione post oblatum libellum, eique factam inscriptionem, sine consensu accusati, & licentia omitrendæ accusationis, concessa à iudice ex iusta causa, dum crimen est publicum, præter indictum iis perpetuum silentium de eodem crimine posthac accusandi, de quo resp. 2. & repulsam, si pœnitentiã ducti denuò prosequi velint, juxta L. 2. ff. & L. 3. c. ad S. C. Turp. incurrunnt infamiam, juxta L. 2. c. eod. damnantur in expensas compensandaque damna, juxta L. 3. c. de his, qui accus. non poss. & ad alias pœnas ejusdem S. C. Turpill. nimirum ad pœnam quinque librarum auri fisco solvendam. Dum verò crimen privatum est, ad pœnam arbitrariam à iudice infligendam, juxta L. 7. §. 1. ff. ad Senatus cons. Turp. Sylvester v. accusatio n. 8. Lessi. de injuria, L. 2. c. 30. n. 14. Wiestn. num. 14.

*Quæst. 16. Quinam accusari possunt, aut nequeant?*

1. Resp. Primò, regulariter & in genere loquendo accusare possunt delinquentes iudiciorum publicorum rei, tam servi, quàm liberi, sine discrimine sexus, tam Clerici, quàm Laici, tam impuberes, quàm puberes, tam minores, quàm majores, modò usum rationis sufficientem ad delinquendum habeant, & modò minoribus suis in negotiis civilibus accesserint curatores, & pupillis tutores, Lauterb. h. tit. §. 8. & Clarus cit. §. fin. q. 16. n. 1. Pitb. h. t. n. 23. Wesenb. in parat. ff. h. t. n. 10. cum communi; quamvis Lauterb. ibid. addat, hoc ipsum moribus nostris non servari ubique, ita tamen etiam, ut impuberes accusati puniantur pœna mitiore, & habita ratione ætatis & imprudentiæ, juxta c. 1. de delictis puerorum. & L. ferè. ff. de reg. jur. Dixi: regulariter & in genere loquendo; quia excipiuntur, qui accusari nequeunt. Unde

2. Resp. Secundò, accusari primò nequeunt ob defectum rationis infantes, & mente capti, seu furiosi; quia, cum se defendere nequeant, æquitatis ratio non permittit, aliquem de criminibus indefensum accusari, multò minus damnari, L. 5. c. 1. h. tit. Unde, si ante furorem deliquerint, accusatio & prosecutio illius suspenditur usque ad reditum sanæ mentis, Lauterb. l. c. qui tamen addit, aliud esse, si delictum ante furorem commissum fuerit levius, & tendebat tantum ad pœnam pecuniariam; talem enim pœnam, dum de delicto tali evidenter constat, statui, seu infligi posse, etiam ante reditum sanæ mentis, extra dubium esse, Arg. L. 1. ff. de requir. vel absent. pro quo citat Menoch. de arb. judic. L. 2. cas. 325. n. 12. Carpz. pr. crim. q. 146. num. 26.

3. Secundò, absentes nequeunt accusari in delictis gravioribus, cum effectu, ut contra eos instituaturs processus, & feratur sententia, juxta c. 1. caus. 2. q. 8. & L. 1. princ. ff. de requir. vel absent. possunt tamen accusari ad effectum, ut à Iudice legitimo citentur, cit. L. 1. relatis in acta publica acculatorum nominibus, anno tali, quo accusati, & obignatis eorum bonis, ut L. 1. §. 2. Et si ad statutum diem contumaciter, seu citra purgationem non comparitionis, emanent, possunt puniri pœnâ pecuniariâ, vel aliâ arbitrariâ, etiam infamiam, ad relegationem usque, non tamen pœnâ capitis, L. 5. ff. de pœnis, & c. 8. de dolo & contum. Laterb. §. 11. loquens etiam de delictis levioribus nototius, cum Carpz. l. c. q. 140. n. 3. quin imò, ut Reiffent, h. t. n. 26. si citati intra annum (qui iis ad defendendum se conceditur, per L. 1. ff. & c. de requir. reis.) non compareant, bona eorum arrestata fisco remaneant, L. fin. ff. de requir. vel absent. damn. nisi contumaciam purgaverint probando legitimum non comparendi impedimentum, arg. L. 9. ff. ex quibus caus. major.

4. Tertio, accusari non possunt Reges & Principes non agnoscentes superiorem, coram quo accusatio foret instituenda; & quidem de Papa constat ex c. 13. caus. 9. q. 3. & c. 14. & 15. caus. & q. ead. De Imperatore quoque, qui propter excellentiam domini mundi dicitur, per L. 9. ff. ad L. Rhod. de jactu. Qualiter tamen is civiliter accusari possit, vide ex bulla aurea c. 5. §. 3. Principes quoque Imperii, quos habeant Iudices in criminibus, adeoque apud quos accusari possint, vide apud Myler. de princip. & stat. Imp. p. 3. c. 93. n. 5. ad quem remittit Lauterb. §. 11.

5. Quarto, propter dignitatem accusari non possunt Legati Imperatoris, id est, qui provinciæ præsumunt, & qui causâ reipublicæ absunt, L. 12. pr. ff. h. t. L. 2. ff. de in jus voc. nimirum durante officio de delicto commissio, vel de delicto commissio ante legationem & officium, cit. L. 12. tenentur tamen cautionem præstare, de iudicio fisci finito aliquando officio, L. 38. §. fin. ff. ad L. Jul. de adult. De cætero aliud est, si finito officio, vel circa illud ipsum delictum commissum, vel contra jurisdictionem superioris, vel involvat privationem officii, Lauterb. §. 9.

6. Quintò, accusari nequeunt mortui; quia extinguitur crimen mortalitate, L. fin. ff. ad L. Jul. majest. nec instituta criminis accusatio peragi potest, L. 2. & 3. & ultima. c. si reus vel accusat. mort. L. 6. ff. de pub. judic. quia morte rei solvitur iudicium per L. 15. §. 3. ff. ad S. C. Turpill. Unde nec accusatio, nec pœna transit ad hæredes, etsi accusatio jam inchoata, & lis contestata, non tamen condemnatio secuta, L. 20. ff. h. t. Nisi tamen sit manifestum crimen lætæ majestatis diviniæ, L. 4. §. 4. t. de hæres. Lauterb. §. 12. vel etiam humanæ, L. fin. ff. ad L. Jul. majest. ubi: hoc crimine hæreditas à fisco vindicatur, nisi à successoribus purgetur.

7. Sextò, qui crimen, ortamque ex eo actionem criminalem præscripserunt, amplius nequeunt accusari, sed elapso requisito ad hoc tempore, computando à die notitiæ commissi criminis, jus accusationis, adeoque & jus inquisitionis de officio iudicis faciendæ sublatum censetur. Quantum verò temporis, & qualiter longius vel brevius pro diversitate delictorum ad hanc præscriptionem requiratur, vide satis accuratè à me tractatum, L. 2. q. 934.

*Quæst.*

**Questio 17.** Num accusatus absolutus, vel condemnatus denuo de eodem delicto accusari possit?

**R**esp. Accusatio criminalis legitime instituta, de eodem crimine, à quo quis semel absolutus vel condemnatus fuit, regulariter reiterari nequit; ita quoad substantiam, juxta *L. 6. h. t. L. licet. ff. nauis. caup. & L. 4. ff. de poenit. Clar. §. fin. q. 17. n. 1. Covar. L. 2. var. c. 10. Fatim. pr. crim. q. 1. n. 51. Pirh. h. t. n. 24. Lauterb. in ff. h. t. §. 10. Marant. spec. aur. p. 6. Barbos. in cit. c. 6. n. 2, citatis plurimis; quia de eodem delicto hominis sapius quærri non debet *cit. l. licet.* cum aliàs rei legitime absoluti innocentia nunquam tuta esse possit. Ad hæc semper accusare iteratò volenti, obstat exceptio rei judicatæ; quin & cum accusatio criminalis respiciat publicum interesse, adeoque competit collectivè omnibus constituentibus reipublicam; ita facta ab uno torum jus omnium deducitur in judicium, à quo per sententiam absoluturam superatur accusatio. Unde hæc iteratò in judicium deducit præjudicatur reip. & omnibus eam constituentibus. Donell. in *L. 63. de re judicata.* Hæc responsio variis clausulis limitata, quoad singulas dilata-*

2. Dixi primo: *actio criminalis seu criminaliter instituta ad vindictam publicam.* Contrarium siquidem est, de accusatione civili seu tendente ad privatam solum interesse, v. g. ad injuriam vel damna refarcienda, dum eâ factâ & vi illius condemnato reo, locus adhuc est actioni & accusationi criminali ad vindictam seu pœnam (intellige tam ab injuriato, quam tertio aliquo) Marant. *l. c. n. 89.* cit. aliis Pirh. *h. t. n. 26.* Wiestn. *h. t. juxta l. 1. c. quando civiliter act. prejud. crim.* Nisi tamen accusatus civiliter fuerit absolutus, quia delictum vel commissum non est; vel commissum non est probatum; tunc enim nec criminaliter, nec civiliter accusari potest, quia competit accusato exceptio rei judicatæ *cit. l. 9. juncta gl. v. ab alio.* Abb. in *c. de his. Felin. ibid. n. 8.* Marant. Pirh. *LL. cit.* quia, si crimen commissum non esse plenè probatum est, absolutus ab eo, à nullo amplius accusari potest; quia tum respectu omnium commissum non est.

3. Dixi secundo: *de eodem crimine;* quia absolutus ab uno crimine de alio etiam orto ex eodem facto accusari potest, ut constat *ex L. 9. c. qui de crimine. & ibi Brunnem. n. 6.*

4. Dixi tertio: *accusatio legitime instituta;* qualis, quia non est instituta ab eo, qui legitimus accusator non est, v. g. ab inimico, utpote qui ob inimicitiam, quæ finita accusatione remanere censetur, ab accusando repellitur, saltem jure canonico, potest ab alio, qui talis non est, reiterari accusatio juxta jus canonicum; juxta jus verò civile, quo non repelluntur inimici ab accusando, potest etiam à priore accusatore, qui in priore accusatione remansit inimicus, accusatio reiterari. Marant. *L. c. n. 53.* uti etiam reiterari potest, saltem ab alio, si libellus à primo ineptè conceptus fuit, cum in his casibus, repulso accusatore, reus non à crimine, sed solum ab observatione judicii absolutus fuerit. Pirh. *h. t. n. 25.* citatis Covar. *L. 2. resol. c. 10. n. 1.* Abb. Felin. item Wiestn. *n. 50.* Reiffenst. *n. 44.* juxta *L. 3. ff. h. t. can. 14. caus. 3. q. 1.* juncta Gloss. *ibidem V. abolitione.* Idem est, dum prior accusatio instituta non fideliter, accusator nimirum prævaricante aut colludente cum accusato, dum nimirum quis assumeret personam accusatoris, addu-

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. V.

cèretque probationes falsas, vel infirmas, ob quas accusatus absolutus cum clausulâ, ne ab illo amplius accusetur; in hoc siquidem casu commissæ prævaricationis & collusionis, & per eam latæ sententiæ absolutoriæ, potest reiterari accusatio ab alio, qui doceret de prævaricatione & collusione, aut saltem judicia ejus sufficientia afferret; qualia sunt inter alia, si accusator conversatus cum accusato; si post litem contestatam neque accusator, neque accusatus comparet in termino à judice statuto, uti ex Abb. in *c. de his. col. fin.* ait Marant. *l. c. n. 51.* atque ita juxta *cap. fin. de collus. deteg. l. 3. §. 1. ff. de prevar. L. si quis homicidii c. h. t.* Docent Abb. in *c. de his. h. t. n. 8.* Covar. *l. c. limit. 1.* Clar. *cit. §. fin. q. 57. n. 5.* Reiffenst. *n. 42.* Wiestn. *n. 50.* ex ea etiam ratione, quòd dolus primi accusatoris, obstat non debeat secundo, pro quo accusare volente est favor publicus, ne delicta maneant occulta.

5. Dixi quartò: *absolutus per sententiam* (intelligè absolutoriam definitivè à crimine) nam primò, si, dum actum criminaliter, reus absolutus fuit per viam exceptionis quam reus in judicio proponit, non, ut non puniatur, sed ad hoc, ut testis, vel accusator repellatur à testificando vel accusando, casu quo absolvatur accusatus, potest is denuo accusari. Wiestn. *l. c. Reiffenst. n. 46.* Marant. *l. c. n. 85.* citatis Bald. in *l. ubi falsi. c. de falsis. Felin. in c. de suis. h. t. v. 3.* Idem dicit de condemnato viâ exceptionis, si ei non irrogetur pœna ordinaria per legem inducta, sed mitior: quia tum, cum delictum non fuit sufficienter punitum, agi possit denuo, ut puniatur pœna ordinaria; adeoque contrarium dicens, dum quandoque irrogari pœna ordinaria solet per viam exceptionis, & sic irrogata est. Secundò dum actum est de crimine per viam denunciationis evangelicæ, potest iterum inquiri, & delinquens accusari ad pœnam ordinariam, cum per hanc viam agatur tantum, ut delinquens emenderetur, non ut puniatur. Covar. *l. c. Abb. in c. de his. h. t. n. 5.* Felin. *n. 3. & 4.* Marant. *l. c.* Secus tamen est, si judex processit ordinariè, imponendo pœnam legitimam, idem dicunt Covar. *l. c. limit. 8.* & alii, dum actum de crimine via inquisitionis; quorum tamen utrumque negari rectius à Claro *cit. q. 57. n. 8.* Decian. *tract. crim. l. 3. c. 30. n. 5. & 6.* ait Wiestn. *l. c.* propter praxin contrariam, & quod tam inquisitio, quam denunciatio ad vindictam proposita succedant loco accusationis. Tertio & principaliter, dum reus liberatus seu absolutus est per viam transactionis; nam si transactio accusatorem inter & accusatum invalida fuit, potest reus tam à primo accusatore, quam ab alio rursus accusari; tamen si accusatio institui nequeat amplius ab eo, cum quo transactum, potest tamen ab alio fieri institutio novo processu, utpote cui prior accusatio præjudicata non potuit. Abb. in *c. de his. h. t. n. 3.* Felin. *n. 3. limit. 2.* Covar. *l. c. n. 5.* Marant. *l. c. n. 55.* Pirh. *n. 25. limit. 5.* Clar. *§. fin. q. 57. n. 6.* Wiestn. *n. 52.* Unde eum multò magis possit judex non obstante transactione inquirere in casibus, in quibus transactio fieri non poterat in præjudicium fisci, ut Marant. *l. c.* non tamen potest tertius ille accusator prodere illum, & cœptam instantiam prioris judicii prosegui, aut judex inquirens ex eo condemnare, cum vi transactionis validæ seu factæ in iis, in quibus fieri permessa, processus prior sit & maneat extinctus quoad omnes; ita ut juxta dicta opus sit novo processu, secus se res habet si transactio facta fuerit in non-permissis à jure, in quibus tam accusator novus quam judex potest prosegui

processum eundem. Marant. *l. c.* dicens hunc esse effectum transactionis in criminalibus, nimirum in casibus permixtis, impedire prosecutionem ejusdem processus, non verò alium initiari ad inquisitionem iudicis, vel ad instantiam tertii accusatoris & exclusionem transigentis; citatis pro hoc Bart. in *l. transigere c. de transact. col. 1. in fin.* Alex. *ibidem* & abb. in *c. de his. h. r. col. fin.* idemque dicens, ex mente tamen potius alterius, de casu, quo Princeps accusante offenso, & accusatione pendente generale indultum fecit de omnibus delictis, nimirum parte offensa concordata, ut tunc non obstanterali indulto iudex ex officio prosequi possit. Porro prædicta procedere quoque de transactione circa privata delicta, tradit idem n. 57. & 58. sic in specie: si passus injuriam in suam personam ante vel post accusationem remittat ei injuriam, non quidem ipse offensus, sed offensus consanguineus, possit adhuc accusare offendentem ex ea etiam speciali ratione: quòd injuria facta uni, censetur facta omnibus de ejus cognatione, juxta *L. lex Cornel. ff. de injur. & ibi Barth. col. 2. in pr.* Verùm de hoc postremo vide eundem pluribus, & dicenda à nobis paulo post.

6. Dixi quintò: in eodem foro; nam primò accusatum à seipso, & absolutum à sacerdote receptà & expletà salutari pœnitentià, nil verat denuo accusari ab alio & puniri in foro externo; quia in foro conscientie facta accusatio & punitio non est ad vindictam & reipublice per crimen lætæ satisfactionem, sed ad reconciliationem cum DEO per peccatum offenso; Unde, cum hæc accusationes & pœnæ tendant ad diversos fines & effectus, una per aliam non tollitur, idque etsi à sacerdote facta absolutio esset publica; ita ex communi & certa praxi, *Glof. in cit. c. de his. v. replicari.* Abb. *ibid. n. 3.* Covar. *l. c. n. 3.* Clar. *l. c. n. 10.* Marant. *l. c. n. 87.* Pirh. *h. r. n. 27.* sic quoque per susceptionem baptismi tollitur peccatum, omnisque pœna temporalis infligenda à Deo, non tamen per hoc impeditur, quo minus baptizatus accusari in foro externo possit de crimine ante baptismum commisso, & delu- per condignè puniri. Abb. *l. c. n. 5.* Covar. Pirh. *h. citatis.* Lauterb. *ad ff. h. r. §. 12. contra Felin. in cit. c. de his n. 8.* & alios quosdam. Huc etiam referendum, quod tradit Marant. *l. c. n. 88.* nimirum quòd, dum offensus in foro animæ remisit sibi illatam injuriam, possit adhuc accusare offensorem suum etiam criminaliter, sive in ordine ad pœnam legitimam & vindictam publicam, eò quòd censetur solum odium & rancorem, & non jus accusandi remittere. Secundò, cum plura crimina sint fori mixti, ut adulterium, usura, sacrilegium, magia, de uno eorum accusatus & punitus vel absolutus in foro Ecclesiastico, potest de eodem accusari denuò in foro sæculari & à iudice sæculari puniri, *arg. c. felicitis §. per hoc quoque. de pœnis in 6.* Covar. *cit. c. 10. n. 6. limit. 11.* Abb. in *c. tua. de procur. Felin. in c. de his col. fin.* Bald. in *l. placet. c. de SS. Eccl.* Marant. *l. c. n. 97.* Pirh. *l. c. limit. 8.* Reiffenst. *h. r. n. 48.* cum communi usu recepta; ex ea ratione: quòd cum jurisdictio Ecclesiastica & sæcularis sint procul distinctæ & separatæ, sententia lata vi unius in uno foro, non possit impedire ferendam vi alterius in alio foro, pariendo exceptionem rei judicatae; adeoque nec pœna spiritalis inflicta in foro Ecclesiastico pœnam temporalem infligendam in foro sæculari, & è converso; quod ipsum tamen imitant Clar. *cit. q. 57. n. ult.* Jo-And. in *cit. c. felicitis.* Covar. perh. Reiffenst. ita ut saltem procedat,

si pœna inflicta in uno foro fuit insufficientis & improporcionata delicto, vel pœna tantum medicinalis, v. g. excommunicatio. Sic quoque duplici pœna puniri potest reus à diversis iudicibus, utroque competente, dum nimirum pro eodem delicto citatus ab utroque, respectu utriusque fuit contumax eorum neutro comparando, potest ab utroque puniri pœna contumaciae; in quo tamen casu non punitur duplici pœna pro eodem delicto, quia revera sunt duo delicta, nempe duæ contumaciae, cum sint duo contemptus duorum iudicum, quorum unusquisque punit contemptum sibi irrogatum. Unde etiam dici nequit puniri bis pro eodem delicto. Ita Marant. n. 98. cum Bart. in *L. sepulchri. ff. de sepul. viol. & Abb. in L. quamvis ff. de in jus. voc.* De cætero dum præter has exceptiones seu limitationes responsionis principalis AA. addunt & hanc, quod iteratò quis accusari possit, dum secundus accusator suam suorumque injuriam prosequitur, modò doceat, se accusationem jam ab alio factam ignorasse, juxta *l. 7. §. 2. de accus. idipsum sic intelligendum videtur, si prima quoque accusatio facta de crimine publico ab aliquo, cujus offensam privatam non concernebat; nam nil verat, ut constat ex dictis, fieri accusationem à secundo, etiam si scivisset accusationem primam ab alio saltem principaliter quoque offenso factam sive criminaliter, sive civiliter. Sic consanguineus potest accusare pro injuria consanguinei, qui jam accusaverat, non quidem civiliter, sed criminaliter; accusare enim civiliter tantum potest consanguineus pro consanguineo; nisi offensum habeat in sua potestate, ut pater filium, maritus uxorem, cum tunc accusando vindicet propriam injuriam, & nomine proprio agat, adeoque pro libitu suo accusare potest, tam civiliter quam criminaliter, quod non possunt alii consanguinei collaterales, v. g. fratres, utpote quorum uno offenso, non dicitur propriè & alter offensus, sed solum dolens de injuria fratris & præterdens interesse aliquod affectionis, ut Alex. in *l. si finit. ff. de damno infecto.* Ita Marant. *cit. n. 60. juncto n. 61.**

**Quæst. 18. Qui sint effectus accusationis, seu quas obligationes, favores, vel odia causet, respectu iudicis, accusatoris, accusati?**

1. **R**esp. ad primum. Effectus accusationis respectu iudicis, est obligatio, qua ille facta accusatione tenetur inchoare processum captando informationem super persona accusatoris & accusati aliisque, citando reum, quin etiam ante citationem incarcerando illum custodiæ causâ, ubi necesse est, v. g. ne is testes tubonet, impediatur, terreat, vel ne fugiat, dum de fuga suspectus est; modò delictum sit grave, adsintque sufficientia indicia, & semiplena probatio commissi delicti, Clar. §. *fin. q. 28. n. 2.* Passerin. *tribun. regul. q. 20.* quos refert, Reiffenst. *h. r. n. 327.* effectus quoque accusationis respectu iudicis & quidem principalis est obligatio, quâ obligatur iudex reo legitime convicto seu probato crimine procedere ad ferendam sententiam de infligenda pœna ordinaria quidem & certa, si talis jure statuta est, aut aliàs alia extraordinaria arbitraria condignè. Pirh. *h. r. n. 37.* cum Hostiensis in *summa h. r. n. 12.* & Zocisio in *comment. h. r. n. 9.* si enim ad hæc tenetur iudex facta sibi denunciatione delicti, de qua loquuntur citati AA. multò magis tenebitur ad ea, facta sibi accusatione, utpote fortius urgente inchoa-

Inchoationem & prosecutionem, & absolutionem per sententiam.

2. Resp. ad secundum, effectus accusationis respectu accusatoris est, quod si facta accusatione teneatur delictum probare probatione plena, uti expressè statuitur *l. fin. c. h. t. & can. 2. caus. 2. q. 8. Lauterb. h. t. n. 19.* quod ubi non fecerit, quam pœnam incurrat, dictum est supra, uti etiam quando ab inchoata accusatione desistere possit; plures accusationis criminalis effectus, utpote denunciationi iudiciali, & inquisitioni communes ob easdem rationes & textus juris, qui & harum meminerunt, & quidem frequentius & expressius, uti videbimus in duobus *cap. seqq.*

*Quest. 19. Accusatore non probante vel se absentante, vel mortuo, & reo interim infamato, qualiter procedere debeat iudex?*

1. **R** Esp. primo: Accusatore vel denunciante non probante objectum crimen, dum accusatus antecesserit infamis fuit, nec per talem accusationem, utpote desitutam probatione, puniendus est, sed absolvendus, ut nec desuper amplius gravandus. Ubi etiam dum objecto crimine non apparet, qui crimen probare possit aut velit. Hofst. in *c. acced. h. t. §. si vero. coll. ult. Pirh. h. t. n. 95. arg. c. 46. §. fin. de appell. & c. 7. de concess. prebend.* Unde, si quis post objectum crimen non probatum petat mitti in possessionem beneficii sibi collati, in hanc immitti debet, non obstante illa objectione. Secus est, si legitime electo nondum confirmato objiciatur crimen: hic in dicto casu non statim confirmandus est, cum is ante confirmationem non habeat jus in beneficio, sicut habet is, cui beneficium collatum; ita fere Pirh. *l. c.* Nihilominus tamen, dum objecto crimine, objicenti deficit probatio, ei indicendam purgationem, ut infamia purgetur, in qua si defecerit, imponendum ei, etiam jam proviso de beneficio perpetuum silentium, uti è contra etiam excipienti de crimine; quod si reus purgaverit infamiam, eum contra quem acceptum, condemnandum in sumptus, tradit Pirh. *l. c.* quem loqui credo de infamia tali, qualis eidem per talem criminis objectionem causata est.

2. Resp. ad secundum & tertium: Ex quo post acceptam accusationem, non apparet transactio, nec remissio accusatoris, sed stat in suspensio causa propter ejus absentiam, iudicem debere substituere virum unum idoneum in locum absentis accusatoris, qui causam ejusdem prosequatur in terminis, in quibus reperitur, ut ita iudex, quam citius potest, procedat ad processum definitionem per condemnationem, non impunita manente accusatoris contumacia in non-comparendo; tradit Marant. *p. 6. de inquisit. n. 81.* juxta constitutiones regni, credo Neapolitani. Addens quoque juxta easdem in casibus, in quibus non vertitur interesse fisci propter aliquam pœnam, licere accusatori impunè desistere, antequam accusatus compareat; verum de jure communi potius dicendum videtur, quod idem dicit *l. c.* de casu, quo pendente accusatione moritur accusator, nimirum in omni crimine, in quo intervenit accusator, & pendente accusatione in iudicium deducta moritur, iudicem procedere debere ex officio, prosequendo processum per viam inquisitionis, ne delicta maneant impunita, ut habet *ait c. 1. & 2. de col. deteg. & ad hoc tenet vult Bart. in l. inter accusatorem. ff. de publicis judi-*

*cis.* Ubi is tenet idem ob similitudinem de accusatore absente.

*Quest. 20. Accusatio quibus modis cesset seu extingatur ante latam sententiam irrogatamque pœnam?*

1. **R** Esp. primò per mortem accusatoris actio criminalis, ante latam sententiam, ita ut hæredes ipsius eam prosequi nequeant. Clar. *§. fin. q. 51. n. 10.* Pirh. *h. t. n. 46. juxta l. 3. §. fin. h. t.* sed neque alii, nisi forte dicere velles, conformiter ad id, quod paulò ante retuli ex Marant. de accusatore contumaciter se se absentante; quòd nimirum in hoc casu iudex substituere possit alium, qui accusationem prosequatur in iisdem terminis, de quo tamen jus commune nihil. Dum autem iudicem in hoc casu ex officio suo prosequi debere accusationem dicit Pirh. *l. c.* citante *l. penult. ff. de publicis judic. & Clar. ubi ante n. 9. & 11.* id ita intelligendum, non ut prosequatur acceptam accusationem pergendo accusare, ut patet, cum accusare non competat iudici, sed per viam inquisitionis ad finiendum processum.

2. Secundò cessat per mortem delinquentis quoad pœnam corporalem, utpote quæ vi illius etiam probatæ exigi non potest ab ejus hæredibus, juxta *l. de functo. de publ. judicis;* juncta *L. 1. & seq. si reus vel accus. mort.* ita Clar. *n. 12.* dicens esse commune, & Pirh. *l. c.* Dicitur autem: quoad pœnam corporalem, nam dum agitur ad pœnam pecuniariam, distinguendum ita, ut si agatur criminaliter ex delicto ad pœnam confiscationis omnium bonorum, aliamque pecuniariam fisco applicandam, actio criminalis reo mortuo, etiam post litem cum defuncto contestatam, ante tamen sententiam condemnatoriam ad talem pœnam, non transeat ad vel contra hæredes defuncti, ex ea ratione, quòd actio pœnalis ex delicto vel quasi delicto descendens auctorem tantum insequitur. *L. 23. §. hanc actionem ff. ad l. Aquil. §. de perpet. & temp. act.* Quamvis & sint quedam delicta v. g. læsæ majestatis, hæresis & in quibus etiam accusato mortuo ante litem contestatam procedi possit contra ejus hæredes, ut bona illius fisco vindicentur. Farin. *pr. crim. p. 1. t. 1. de inquisit. q. 10. n. 38.* Clar. *cit. q. 51. n. 13.* Pirh. *l. c.* juxta *L. ex judicior. ff. h. t.* Si verò agatur civiliter ad pœnam pecuniariam parti læsæ persolvendam, actio pœnalis illa transit ad hæredes, si lis cum defuncto fuit contestata, etsi condemnatio rei nondum fuerit secuta, quia is mortuus est causa principali pendentes ita Pirh. *l. c.* citans eand. *L. ex judiciorum.* & *Glof. ibi V. pœna & v. secuta,* citato Giphani. *in §. non autem. Inst. de perpet. & temp. act.* cò quòd litis contestatio sit quidam quasi contractus, & veluti novet priorem obligationem & transmutet in aliam, ac ita faciat, ut actio pœnalis jam non sit ex delicto, sed ex contractu nasci videatur; actiones autem ex contractu vel quasi contractu dentur etiam contra hæredes. De cætero reo mortuo post sententiam condemnatoriam quolibet pœna pecuniaria transit ad hæredes illius; Pirh. *l. c.* cum Farin. *l. c. n. 45.*

3. Tertio Accusatio criminalis regulariter & ordinariè finitur seu extinguitur per præscriptionem 20. annorum lapsorum à die commissi criminis, *L. querela. c. ad L. Cornel. de falsis,* Farin. *l. c. n. 1.* Pirh. *cit. n. 46.* Dixi regulariter, quædam enim criminalia seu actiones criminales præscribuntur seu tolluntur breviori tempore, quàm 20. annorum. Farin. *n. 15. & seq. Zæx. in ff. h. t. n. 28.* Pirh. *l. c.* Actiones

etiam criminales breviori tempore finiuntur quam civiles, etiam ex delicto descendentes, quæ durant ad annos 30. cum odiosa facilius tollantur, Zæf. n. 29. Porro hæc intelligenda de criminibus, quæ semel patrata transeunt & cessant, non verò de iis, quæ successiva sunt, & continuantur, v. g. ut matrimonium initum contra canones, hæresis, apostasia; facta enim accusatione ad ea abolenda & finienda nulla præscriptio locum habet, nisi à tempore cessantis delicti, ut Zæf. l. c. n. 27.

4. Quartò cessat accusatio per abolitionem illius, quæ nihil est aliud quam accusationis premissio concessa per interlocutoriam iudicis cognitâ causâ. Glof.

*in rub. c. de abolit. Specul. in tit. de abolit. §. 1. in pro Marant. p. 6. de inquis. n. 83. Quam abolitionem etsi quidam velint non posse peti ab alio, qui inferior sit Rege, per constitutionem regni; censeatamen Marant. l. c. id ipsum verum non esse, ne aliis omnes leges juris communis concedentes hanc potestatem permittendi abolitionem accusationis iudicibus & officialibus inferioribus, necesse esset corrigere; cum tamen legum correctio nunquam præsumatur, nisi expressè appareat, juxta L. præcipimus in fin. c. de appell. & ibi Barth. Unde jam patet juxta Marant. tali abolitioni de jure communi locum esse.*

## CAPUT II.

### De Denunciatione.

*Quæst. 21. Quid sit denunciatio in genere.*

**R** Esp. Denunciatio, prout hic accipitur, definitur aliquandò explicatius potest, quod sit criminis alicujus manifestatio, seu delatio facta legitimè Superiori, sine solemnitate seu subscriptione & probatione. Dicitur primò: *manifestatio seu delatio criminis*, non qualicumque, quæ etiam comprehenditur revelatio vel narratio criminis commissi ab aliquo, facta alteri ex fine malo, sed ut alter ad pœnam, emendationem vel correctionem adducatur; ita ut & accusatio, aliæque species, in quas subdividitur, hoc termino generico comprehendantur. Dicitur secundò, *facta Superiori*; qualis non est quisque privatus, utpote in quò dicti fines locum non habent. Quamvis non omnis denunciatio fiat ad aliquem quæ superiorem, seu jurisdictionem propriè talem in denunciatum habentem, ut mox patebit ex dicendis de denunciatione caritativa. Dicitur tertio: *Sine solemnitate*, cum denunciatio non tantas, quantas, juxta dicta, accusatio requirat, quæ consistunt potissimum in inscriptione & obligatione, quæ quis obligat se ad probandum crimen denunciatum. Est que hæc principalis differentia illius ab accusatione.

*Quæst. 22. Quotuplex sit denunciatio?*

**R** Esp. Dividitur ordinariò trifariam; alia est Evangelica, sic dicta, quia à Christo tradita in Evangelio *Matth. c. 18.* seu caritativa, quia ex caritate tendit non ad vindictam criminis, sed ad delinquentis bonum, nempe ad emendationem & correctionem paternam, seu procurandam à Superiore, vel etiam quandoque à privato, tanquam patre. Quæ ad eam requirantur, & quis in ea servandus ordo, dicitur *gg. segg.* Alia est canonica sic dicta, quia à SS. canonibus inducta, qua denunciatus recurrit ad Superiorem vel Judicem non intendendo vindictam, seu ut is delictum puniat; sed ut ipse pro officio impediatur damnum commune ex delicto imminens, vel alicujus privati. Hanc aliqui in latiore significatione quandoque judicialem vocant, quia non fit Superiori ut patri, sed ut iudici, seu ut habenti potestatem & curam publicam; de *Lug. de 7. §. 7. d. 28. §. 2. n. 3.* Unde etiam quidam denunciationem bifariam dividunt, nempe in Evangelicam & judicialem, & hanc dein subdividunt. De cætero denunciatio canonica, prout distincta à judiciali, est duplex, generalis nimirum & specialis, *Marant. p. 6. tit. de denunci. n. 7. Honor. b. t. n. 77. Wiestn. n. 66.* Generalis ea est, qua agitur

apud superiorem ad delictum aliquod publicum, vel etiam privatum, damnum aut incommodum ejusque continuationem impediendam, v. g. ne matrimonium aliquod cum impedimento impediendo contrahatur, aut ut illud cum impedimento dirimente contractum dissolvatur; de quo agitur *c. 13. de despons. impub. c. fin. de cland. despons. Marant. Wiestn. locis cit.* Quo etiam spectat, dum quis agit, ne indignus promoveatur ad ordines, aut qui malè præfaturus timetur, eligatur aut instituat. *Wiestn. l. c. cum Valensi b. t. §. 5. n. 5.* intendens nimirum non tam privatum seu speciale suum commodum, quam bonum publicum, aut etiam ipsius promovendi aut eligendi. Specialis denunciatio est, quæ fit eidem Superiori per eum, cujus interest (intelligendum videtur specialiter) habere bonum Prælatum, vel administratorem, vel subditum, utis corrigatur, vel si monitus sit incorrigibilis, Prælaturâ, officio vel beneficio moveatur. *Marant. l. c. Wiestn. n. 67. juxta c. 1. de offic. cust. §. 3. r. de Simon.* Alia est denunciatio judicialis, propriè talis sic dicta à iudicio & modo judiciali procedendi, qua defertur crimen iudici, ut is ex munere suo delinquentem puniat, quem tamen denunciatus non vult accusare, nec facere causam suam, seu se partem in iudicio, sicut facit accusator; sed totum relinquit curæ iudicis, ut is suo munere satisfaciatur. *Salicet. in l. ea quidem, in pr. c. b. t. Lugo l. c. Marant. l. c. n. 2.* Subdividitur in publicam & privatam; publica est, quæ in iudicium deducitur crimen, principaliter ad vindictam publicam, & reip. per crimen læsæ satisfactionem, aliorumque exemplum, præcipuè ab officialibus & ministris publicis ad denunciandum deputatis. Unde etiam propriè denunciatio criminalis dicitur, de qua potissimum in præsentia. Privata est, qua denunciatus querit non vindictam publicam, sed proprium suum interesse seu commodum, nimirum damni sui reparationem, sibi debiti satisfactionem, gravaminis sibi illati amolitionem seulevationem, v. g. dum filius à patre, vel servus à Domino (adverlus quos juxta *L. 1. §. 8. ff. de off. præfetti urb. §. 2. instit. de his, qui sui vel alieni jur. non competit eis actio*) indebitè Monachus à suo Prælato vel Superiore, rusticus vel persona miserabilis à Potentiore oppressi suum gravamen denunciavit iudici, ut ab ipso ex officio releventur. *Abb. in c. novit. d. iudic. n. 48. §. 51. Marant. l. c. n. 3. Pith. b. t. n. 87. Wiestn. n. 63.* Unde potius denunciatio civilis dici debet. *Laym. L. 3. t. 3. p. 6. c. 4. n. 1. Reiffenst. b. t. n. 84.* apud quem aliqui hujus subdivisionis membra aliter explicant, ita ut velint, eam denunciationem

clationem dici publicam, dum sit à ministro publico, sive criminaliter, sive civiliter; privatam, quæ sit ab alio, sive civiliter, sive criminaliter. His additur ab aliquibus quarta species, nempe denunciatio regularis, quæ expeditur secundum diversas Religiosorum constitutiones, & in ea proceditur simpliciter de plano, nec contra eam appellari potest, c. 3. § c. 26. de appell. Abb. l. c. n. 61. Durand. in specul. l. 3. p. 1. de denunci. n. 15. Pirh, h. t. n. 17. in fin.

*Quæst. 23. An & qualiter denunciatio Evangelicæ præmittenda monitio secreta delinquentis?*

1. Resp. Primò, Denunciationi evangelicæ (per quam, ut ex Bart. ait Marant. l. c. n. 4. reparantur multa, quæ auxilio juris civilis destituta sunt) ut debite fiat, præmittenda necessàrio est duplex monitio secreta, seu correctio fraterna, (etiam in delictis notoriis, ut Pirh. h. t. n. 8. citato pro hoc Marant. de ord. judicii p. 6. de denunci. num. 5.) ordine præscripto à Christo *Matth. c. 18. nimirum prima ad vers. 15. si peccaverit in te (intellige, te solo sciente) frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsam solum;* non tantum semel, sed iterum, & tertio, ut Pirh. h. t. n. 86. Altera coram uno, vel duobus testibus facienda, v. 16. *si te non audiverit, adhibe tecum unum, aut duos testes:* ac denum, si hisce duabus secretis monitionibus adhibitis non respiciat, facienda publicè ipsa denunciatio, juxta *vers. 17. quod si non audiverit vos, (nimirum testes illos) dic Ecclesie, sive defer, ad Superiorem ecclesiasticum, tanquam patrem, ut ipse delinquentem paternè corrigat: ita declarat Bald. in auth. ad hoc. de usu. coll. 2. in fin. Abb. in c. nov. de judic. coll. 11. § seq. & cum communi Theologorum & Canonistarum tenens Marant. p. 6. cit. de denunci. n. 4. Castrop. rr. 6. d. 3. p. 8. n. 1. Pirh. h. t. n. 86. Reiff. n. 62. Wiestn. n. 57.*

2. Resp. Secundo, est hic ordo servandus non tantum de consilio, respectu saltem Laicorum, ut Glof. in c. 19. caus. 2. q. 1. v. eodem, sed etiam de præcepto, utpote cujus vim habent citata verba, dum posita sunt in imperativo, ut habet communis conformis textui, *cit. can. 19.* Sed neque præceptum solum respectu delictorum injuriosorum & damnolorum ipsi corripienti, ut vult Salmeron. *Tom. 4. in Evang. p. 3. rr. 11.* propter verba illa: *si peccaverit in te.* Verùm etiam respectu aliorum peccatorum proximi, ut cum D. Thom. 2. 2. q. 38. q. 7. Suarez. *Tom. 4. de relig. L. 10. c. 7. à n. 10.* Coninck. d. 28. dub. 3. num. 138. Castropal. l. c. n. 3. Corn. à Lapid. in *Matth. l. c. §. 3.* quos citat & sequitur Wiestn. h. t. n. 60. non obstantibus dictis verbis: *si peccaverit in te:* cum ut dictum respons. præced. significent: *te sciente,* & ex commisso peccato scandalizato, ut interpretantur S. August. Chryl. alique PP. apud Suarez. l. c. n. 12. Ex ea etiam ratione, quòd si intelligenda de peccatis in nos commissis, etiam intelligi debere de commissis in proximum, utpote quem sicut nosmetipsos diligere debemus: multòque magis de commissis in Deum diligendum plùs quàm nos; ut arguit à Lapid. l. c. §. dices, ideoque dicens, sub illatis nobis injuritis per synecdochen comprehendi omnia peccata. Estque hoc præceptum divinum, juxta quod decem ab Alex. III. & Innoc. III. dum istiusmodi correctionem fraternam vocant mandatum divinum, & regulam evangelicam, *cit. c. Novet. c. lices 31. de Simon. & c. 12. de heret.* Et quidem

non solum divinum positivum, sed & naturale, seu juris naturalis; cum lumen naturæ dicat, correctionem fraternam faciendam cum minimo, quantum fieri potest, damno bonæ famæ ejusdem; adeoque si secreta monitio sufficiat, abstinendum à denunciatione faciendâ Ecclesiæ, utpote qua saltem apud illam læditur bona fama delinquentis, ne juxta *cit. can. 19. si peccaverit.* erroris non tam correctores simus, quam proditores. Præterea, cum nullum in lege Evangelica contineatur præceptum Divinum, quod non sit juris naturalis, exceptis, quæ sunt de sacramentis & fide, ut Reiff. h. t. n. 83. citato D. Thom. 2. 2. § 1. 2. q. 108. art. 1. § 2. rectè sequitur, hoc præceptum esse naturale, & necesse ex præcepto præmitti has monitiones denunciationi.

3. Resp. Tertio, nihilominus variæ dantur hujus præcepti Divini exceptiones, ita ut denunciationi præmitti necesse non sit dictas monitiones secretas. Et prima quidem, si delictum non sit amplius occultum, seu soli denunciatori notum, sed jam manifestum & notorium, cum tunc delinquens jus ad famam amiserit, bonumque commune exigar, ut delictum notorium non maneat occultum: ita communis juxta illud Apostoli 1. ad Tim. P. 20. *Peccantes coram omnibus argue,* nec amplius urgeant illa Evangelii: *si peccaverit in te,* id est, te solo sciente, juxta datam paulò ante PP. & DD. interpretationem. Secunda, si secreta illa monitio, seu correctio foret momenti damnosa; ut si ex tali monitione, rationabiliter timeretur gravis offensa personæ delinquentis, quæ momenti multum aliàs prodesset vel obesse posset: cum charitas non obliget cum periculo talis damni, Reiff. n. 69. Wiestn. n. 61. Tertia, si prævia monitio nihil profutura crederetur, ut dum monendus esset majoris conditionis seu dignitatis, qui monentem spernat, aut nihil curet, aut ita in malo habituatus & arrogans, ut privati alicujus monitioni non videatur acquieturus: Ita quoque communis, juxta illud Augustini relati in c. 4. dist. 7. de penitentia: *Si scirem, tibi non prodesse, non te moneam.* Quarta, si ex delicto etiam occultè machinato, imminet reipublicæ, vel etiam alicui privato grave damnum, quale v. g. est: proditio, falsificatio monetæ, ruina spiritualis proximi: cædes, incendium, quod moram non patitur, & secreta tali admonitione non creditur tollendum vel amoliendum, Sanchez. *consil. L. 6. c. 2. d. 5. n. 9.* Lessius *de justit. L. 2. c. 30. n. 10. § 17.* Wiestn. h. t. n. 43. § 61. Reiff. n. 66. Quinta, si delictum statim sibi denuntiari præcipit Prælati, ut respectu certorum delictorum solent inquisitores hæreticæ pravitatis, Castrop. *de carit. rr. 6. d. 3. p. 13. n. 4.* Sexta, dum domestici, aut etiam extranei delicta occulta etiam gravia domesticorum patrifamilias, uti & delicta scholasticorum à condiscipulis, alitve, præfecto scholarum, aut magistro sine prævia delinquentium monitione ad eorum salutem correctionem, ac competentem iis punitionem statim denunciare solent; absque eo, quòd talis denunciatio deficiat à denunciatione caritativa, cum non tendat ad vindictam, sed ad salutem punitionem, ultimatè spectantem emendationem, ad quam parentes, patres familias, præceptores respectu sibi commissorum, sine eorum gravi infamatione aptiores censentur, Layman. *L. 3. t. 3. part. 2. c. 4.* citatis Cajetan. 2. 2. q. 73. a. 2. Navar. *in manual. c. 18. n. 33.* Septima, dum in religionibus vi statutorum delicta graviora etiam occultissima, soli delinquenti & denuncianti, qui ea

extra

extra confessionem, & citra secretum naturale scit, nota, sine monitione pravia superiori denunciari ordinariè debent, ut Sanchez. *L. 6. mor. c. 18. num. 46. & 50.* Castrop. *l. c. p. 10. n. 2. & 3.* Suarez. *Tom. 4. de relig. L. 10. c. 9. n. 11.* Laym. *L. 3. t. 3. p. 2. c. 4. n. 5.* ex ea etiam ratione, quòd superior religiosus ordinariè loquendo, melius & efficacius monere, corrigere & emendare possit, removendo occasiones, & invigilando delinquenti, ita fere Reiffenst. *n. 71. & 72. & 73.* bene notans in religionibus, & rarò quoque apud sæculares requiri monitiones istiusmodi fraternas, quia plerumque & fere ordinariè adest una ex prædictis exceptionibus. Quod si tamen, ut potest quandoque contingere, inferior æque idoneus foret, ac superior ad efficaciter emendandum delinquentem; in eo casu præmittendas ab eo dictas monitiones, antequam paternè denunciaret delictum superiori religioso, docent Sanch. & Laym. *ll. cit.* Octava, dum quilibet in particulari, imò & totæ communitates dicto Evangelicæ denunciationis, & fraternæ correctionis ordini renunciant, quòd fieri etiam potest ex fine etiam honestissimo, nempe ex studio majoris perfectionis, renunciando juri suo, & famæ propriæ, uti de facto contingit in pluribus religionibus juxta jam dicta. Neque per denunciationem talem immediatè factam Prælato omiſſa illa monitione prævia delinquentis contravenitur præcepto divino aut naturali, in quo aliàs, ut dictum, fundatur ordo denunciationis & correctionis Evangelicæ, dum dicta denunciatio immediata fit de consensu & voluntate delinquentis denunciati; sicut præcepto Divino & naturali, intentoque fini servandi sigillum confessionis non contravenitur, dum manifestatio auditorum in confessione sacramentali fit ex voluntate, & de expressa licentia ipsius consentientis, utpote domini famæ & honoris sui: ac ita rectius contra paucos alios docent Suarez. *Tom. 4. de relig. L. 10. c. 7. n. 28.* Sanch. *conf. mor. c. 18. n. 43.* Cönnick. *d. 28. d. 11. n. 297.* Castrop. *tr. 6. p. 9. num. 3.* conformiter constitutioni Gregorii XIII. *ascendente domino. edita Calend. Junii 1584.* quæ confirmavit institutum societatis, & sub excommunicatione prohibuit impugnationem cujuscunque ejusdem societatis constitutionis, inter quas est dicta delatio immediata defectuum ad superiorem. Et inter cætera damnavit libellum cujusdam impugnantis memoratam denunciationem in societate usitaram, teste Alphons. Rodrig. *de perfectione p. 3. tr. 8. c. 6.* Castrop. *l. c. n. 4.* circa quæ tamen cum Suar. *l. c. c. 12. n. 3.* & Sanch. *cit. c. 18. num. 50.* norandum, confessionem illam famæ respectu defectus occulti deferendi immediatè ad superiorem in societate fieri tantùm ad illum, ut patrem, & non ut judicem; quia sic cedenti denunciatio est utilior, & minùs onerosa. Unde licet vi illius superior in denunciatum animadvertere queat moderata & paterna correctione, judicialiter tamen & rigorosè contra eum procedere nequit, ut Sanch. & Suar. *ll. cit.* apud Wiestn. *b. t. n. 64.*

4. Resp. Quartò, præmissis binis monitionibus, si monitus fraternè non respiscat, ad eundem in hac denunciatione evangelica Judex, seu Prælatus ecclesiasticus formato oblatoque libello, in quo narretur legitime adhibitas dictas monitiones, monitumque in peccato persistere, rogando, ut is eum, qui v. g. rem alienam cum peccato retinet, desistere à peccato, restituendo rem domino suo, compellat, non tantùm per censuras ecclesiasticas, sed & per missionem domini in earum possessionem, Marant.

*l. c. n. 5. & 6.* citatis Bald. *in amb. ad hac. c. de usur. col. 2. in fin.* & Felin. *in c. novit. de judic. col. fin.* qui dicit, hunc esse bonum modum recuperandi rem per alium detentam, dum aliud ad hoc civile remedium deficeret. De cætero denunciatus in dicto libello se inscribere, & ad probandum crimen denunciatum non tenetur: si enim ad hoc non tenetur, qui denunciatur judicialiter, ut paulò post dicitur; multò minus teneri videtur, qui denunciatur charitativè, Laym. *L. 3. tr. 6. c. 3. n. 5.*

*Quest. 24. Quinam charitativè denunciare possint, aut etiam ad hoc obligentur.*

1. Resp. Ad primum: quilibet denunciare potest charitativè, quin & infames & criminosi, vel aliàs ad accusandum inhabiles modò ipsi non perseverent in crimine, ob quòd infames sunt, aut ad accusandum inhabiles; quia, qui propria peccata non corrigit, præterquam, quòd sit indignus, ut corrigat, & audiatur; præsumitur non bono zelo denunciare, ut Glof. *in c. 19. c. 2. q. 1. v. eod.* Wiestn. *n. 58.* cessante hac conditione, ad denunciandum admittuntur prædicti: non enim refert, quis denunciatur, modò animam fratris sui lucratur, ita Pirh. *b. t. n. 86.* cum Abb. *in c. novit. de judic. n. 390.* Durand. *in spec. L. 3. p. 1. tit. de denunc. §. 2. n. 8.* & communi: idque, etiam si juraverint, se non denunciaturus, Reiffenst. *n. 77. arg. c. 26. §. fin. de jurejur.* ex ea ratione, quòd hac denunciatione non intendatur vindicta, sed bonum seu emendatio, & salus animæ delinquentis: sic in specie potest is, qui sententiã injustã, quæ jam transit in rem judicatam, succubuit, etsi exclusus sit ab omni remedio civili, adhuc denunciare evangelicè illum, quem scit injustè sententiã obtinuisse, & per hanc denunciationem compellere ad restitutionem eorum, quæ vi talis sententiæ adversarius obtinuerat, ut sic à peccato desistat; ita Marant. *p. 6. t. de denunc. n. 6.* cum Abb. *in c. 1. de concess. præbend. col. fin.* modò tamen ei constet de conscientia injusta obtinentis; quòd ei constare potest, si obtinens fortè extra judicium confessus fuerit, se injustè obtinuisse, juxta eosdem.

2. Resp. Ad secundum: quilibet ex præcepto charitatis fraternæ ad hanc denunciationem tenetur, cum dicta verba evangelica præferant modum præceptivum, Abb. *l. c. n. 35. & 36.* Pirh. *l. c.* contra Joan. Andr. *in cit. c. novit. num. 6.* & alios quosdam, qui tenent, non esse obligationem denunciandi aliam, quàm qualis est ad alia opera pia, nempe consilii; nisi respectu illorum, ad quos spectat correctio, ratione curæ & officii. Sed neque ab hac obligatione denunciandi charitativè excusantur, qui in jure non admittuntur tanquam testes legitimi, aut etiam illi, qui ad testificandum non obligantur; quia hæc obligatio oritur ex jure naturæ & præcepto charitatis, impediendi damnum proximi, quando fieri potest sine gravi dispendio. Unde nullo privilegio juris aut exceptione tolli potest, ubi hæc denunciatio necessaria aut profutura creditur ad dictum finem, de Lug. *l. c. n. 15.* Verùm quid sit de hac obligatione denunciandi fundata in natura rei & præcepto evangelico, vi edictorum, seu præcepti ad denunciandum facti à Prælato seu superiore, non tenetur quis denunciare charitativè, sive Prælato ut patri; cum istiusmodi edicta & præcepta, ut si quis sciat tale crimen commissum, denunciaret seu deferat ad superiorem, ordinariè ordinentur ad forum externum, & ad judicium; unde tales

tales denunciations, & manifestationes ad præceptum superioris factæ excipiuntur in scriptis & eoram notatio, asservanturque, ut accedente alia notitia possit inchoari processus, de Lug. d. 38. f. 2. n. 31. quitamen idiplum sic limitat, ut, si constaret de intentione superioris volentis denunciari ut patri, subditi teneantur obedire servato ordine correctionis fraternæ, & manifestare delicta etiam occulta, quorum nulla est infamia aut probatio, modò superior æstimaretur tantæ virtutis & prudentiæ, ut prodesset possit, & non obesse; esseque adhuc tunc denunciationem faciendam juxta ordinem charitatis, cum ordinaretur ad bonum proximi, notat Nav. apud de Lug. l. c. secus si superior credatur minus prudens & mansuetus, ut idem cum Sanch. L. 6. conf. c. 2. d. 17.

*Quest. 25. Quenam delicta charitative denunciari possunt?*

**R** Esp. Quodlibet delictum, etiam occultissimum, & nulli notum, præterquam delinquenti & denuncianti, denunciari charitative potest. Reiff. h. t. n. 78. cujus tamen contrarium sentire videtur Pirh. b. t. n. 86. dum ait: hæc denunciatio charitativa locum habet in quolibet delicto occulto, modo non sit omnino occultum, sed saltem probari possit per duos testes. Unde hoc ipso à contrario sentit, in eo locum non habere dictam denunciationem, si non nisi denunciati notum sit; quia tunc per duos testes probari nequit. Verum probabilis est, eum locum habere in eo casu, ubi crimen soli committenti & denunciati notum est: uti & locum habet in delictis notoriis, ut dictum q. 23. n. 1. ex Pirh.

*Quest. 26. Facta denunciatione charitativa, qualiter procedere debeat superior?*

**R** Esp. Facta hac denunciatione, dum crimen occultum est, & nemini præjudiciosum superior, seu Juxta tenetur se accommodare intentioni, seu petitioni denunciantis, illiusque modo denunciandi, ita ut, si hic eidem ut patri crimen denunciaret, volens, ut delinquentem non nisi secreto nomine, vel non nisi uno alterove præsentem & taciturno moneat, corrigat aut puniat, id omnino servare teneatur superior, peccetque graviter, si denunciatum publicè confundat aut puniat, ita Arg. can. si peccaverit. caus. 2. q. 1. cum communi, Reiffent. h. t. n. 74. ne aliàs injustè diffamando subditum, non tam paternum correctorem, quam injustum proditorem ageret, ut dicitur cit. can. Si verò crimen jam est notorium, aut majori parti communitatis cognitum, non tenetur superior juxta petitionem denunciantis procedere, in corrigendo & puniendo denunciatum, sed potest, imò plerumque tenetur, processum criminalem contra illum instituere per modum inquisitionis, maximè dum delictum est scandalosum, Reiffent. num. 75. cum Ludov. de Ameno in praxi criminali tit. 9. v. denunciatio §. 1. n. 7. ed, quòd occasione denunciationis evangelicæ, cum resciat delictum notorium, jam ex officio inquirere, & inquirendo instituere processum possit, & bono communi exigente teneatur, non quidem vi denunciationis evangelicæ, sed vi officii sui, etiam nullam faciendo in processu mentionem istius sibi factæ denunciationis: quin & potest denunciante adhibere testem, aut eidem, ut Reiffent. mandare, ut denunciaret judicialiter, si delictum vergat in præjudicium communitatis vel ter-

R. P. Leur. jur. can. Lib. V.

tii: cum etiam in eo casu, quisque ex se teneatur denunciare judicialiter, adeoque denunciatis petens à superiore servari modum aliàs in denunciatione evangelica servandum, audiendus non est.

*Quest. 27. An & quando superior delicta occulta sibi charitative denunciata, revelare, haustaque ex hac denunciatione scientia viri possit?*

**R** Esp. Ad primum: Prælati seu Superior delictum occultum gravè charitative sibi denunciatum manifestare aliis non debet, si solus emendare possit; si verò id non potest, debet illud manifestare alteri potenti adhibendum remedium; Quin &, si is solus ad hoc non sufficiat, pluribus, qui necessarii videbuntur ad denunciati emendationem, Laym. L. 3. tr. 4. c. 3. n. 4. Idque, etiam si denunciatis inhiberit adhiberi plures; cum aliàs hæc denunciatio frustraretur suo fine, qui est emendatio denunciati, aut etiam impeditio vel amolitio scandali, aut damni, si quod ex delicto denunciato imminet tertio alicui, aut is de facto patitur. Sic in specie per se loquendo concessum est patri familias delicta occulta etiam gravia liberorum, famulorum, & ancillarum revelare matri familias, & ob paritatem, aliis licitum est, eorundem delicta denunciare tali personæ, quæ ob incumbentem ei curam administrandi familiam, jus & autoritatem habet salubriter corrigendi, & puniendi istiusmodi domesticorum delicta. Idem est de revelatione talium delictorum occultorum à scholaribus commissorum, facta eorum præceptoribus puniendi gratia; modò ex tali revelatione & punitione plus commodi, quam incommodi secuturum speretur, Laym. l. 3. t. 3. p. 2. c. 4. n. 11. citati: Navar. in manual. c. 25. n. 58. Molin. de just. t. 4. d. 29.

2. Resp. Ad secundum: quamvis Prælati denunciatum sibi delictum subditi sui secretum servare teneatur, nullà causâ urgente ad ejus revelationem; nihilominus notitiâ illius haustâ ex ejusdem delatione charitativa uti potest ad delinquentis gubernationem, v. g. invigilando illi sollicitius, præcindendo occasiones, mittendo illum aliò, vel etiam movendo ab officio sub probabili aliqua ratione citra ejus infamiam, Laym. L. 3. tr. 6. c. 2. num. 5.

*Quest. 28. An & qualiter Prælati, Pater familias, Ludimagister constituere possit aliquos, qui suorum delicta observent, ad charitative ea sibi denunciandum.*

**R** Esp. Cum Laym. L. 3. t. 3. p. 2. c. 4. n. 12. citante Bannez. & Turrian. id eum posse, attendendo tamen constituti denunciatoris ingenium, prudentiam, affectus; cavendòque, ne plùs ei credat, quàm oportet, spectatis omnibus circumstantiis; item cavendo, ne jubeat observari in particulari personam certam, quæ alioquin publicè suspecta non est, ne aliàs ejus fama patiat; quamvis tamen quandoque talis causa esse possit, v. g. periculum impendentis mali alicujus, ob quam talis qualis diminutio famæ personæ jussu observari, posthabenda sit ejusdem spirituali bono aliorumve damno, Laym. l. c. item curando, ne constitutus ad observandum & denunciandum, factaque ab eo denunciatio cognosci possit à denunciato, nisi aliud gravitas aut periculum postulet, & tum non curandum, quòd

C

quodd denunciandus aut denunciatus veniat in dictam notitiam, & exinde denunciatus passurus sit quaecumque incommodum, utpote posthabendum bono denunciati vel bono communi. Unde jam etiam prudens superior, nulla urgente causa contrarium, poterit facta jam sibi denunciazione supersedere correctione, eam differendo in tempus opportunius, Laym. *ibid.*

*Quest. 29. Qualiter charitative denunciatus in denunciando procedere debeat.*

**R** Esp. præter dicta q. 23. de præmittendis denunciazione charitative, monitio secreta delinquentis ante omnia procedere debet ex lege & motivo charitatis, habendo semper præ oculistanquam finem hujus denunciazione bonum spirituale, tum delinquentis, nimirum ejus correptionem & correctionem; tum communitatis, nempe impeditorem & amolitionem scandali, si quod ei immineret, dein præcavere debet, ne denunciet incerta tanquam certa & explorata; item ne delicta nimis augeat, sed simpliciter deferat, prout gesta sunt; neque dicat delinquentem habere consuetudinem sic delinquendi, si semel tantum, iterumque illum sic deliquisse sciat, Laym. *cit. n. 12. cum Turrian. d. 39. du. 5.*

*Quest. 30. Quinam judicialiter denunciare & denunciari possint, aut non possint?*

**1. R** Esp. primò. Denunciare posse, & ad sic denunciandum etiam publice, etsi aliàs ad accusandum inhabiles, admitti posse omnes juxta communem tribunalium praxin & receptam hodie consuetudinem, eò quòd per hanc denunciazione sternatur solum via ad inquirendum; asserit cum Ludov. Ameno *tit. 9. v. denunciatio. §. 3. n. 15. Reiffenst. h. t. n. 86.* quamvis subjungat in suo ordine servari contrarium, nempe inhabiles ad accusandum, haberi etiam inhabiles ad denunciandum judicialiter. Verùm quicquid sit de hoc, generaliter loquendo, criminosi à denunciando judicialiter repelluntur, juxta *c. cum in tua de spons. nisi suam suorumque injuriam prosequantur, arg. c. 2. caus. 4. q. 6. Pirh. h. t. n. 95.* Unde etiam publicus concubinaris ad denunciandum aliorum peccata admittendus non est, juxta *c. vestra de cohabit. cum mulier. Gl. in cap. cum dilectus. h. t. v. concubinaris. Host. v. excommunicationis. Pirh. l. c. qui tamen etsi idem dicat de excommunicato ob concubinatum publicum, juxta quod in *cit. c. dilectus*; utrumque sub disjunctione conjungitur; nempe concubinatum publicum vel excommunicationem (intellige incursum ob aliam causam sufficere ad hoc, ut repellatur quis à denunciando judicialiter. De cætero nullo casu denunciare possunt, qui delicti notitiam ex sola confessione sacramentali habent, ut cum communi de Lug. *d. 38. §. 2. n. 37.* Adde quòd licet accusatio fieri non possit per alium, v. g. per procuratorem, judicialis tamen denunciazione per eum fieri possit. Pirh. *l. c. n. 35. cum Abb. Plura de his paulò post.**

*Quest. 31. An & quinam obligentur ad denunciandum judicialiter citra præceptum judicis vel superioris?*

**R** Esp. Quamvis ferè nunquam privati citra tale præceptum obligentur ad denunciandum propriè judicialiter, cum satisfaciant suæ obligationi denunciazione Evangelica; vel ad summum

canonica, qua datur notitia judicis, committitur. que ejus prudentiæ, quid fieri oporteat, de Lugo *l. c. n. 14.* tenentur tamen ad hoc, quibus ex officio incumbit procurare, ut delicta puniantur, quales sunt fiscales, custodes, syndici, alique ad hoc munus deputati, cæteris, non nisi ad denunciandum canonicè obligatis, quando necessaria est denunciazione ad damnum publicum vel alicujus privati impediendum aut amolendum, quod aliter impediti nequit, sine magno & proportionato damno judicialiter denunciantis; qui tamen ad hanc denunciazione canonicam non tenentur ex justitia, ut patet, sed solum ex charitate, ita ut ex omnia hac denunciazione non obligentur ad restitutionem & compensationem damnorum inde ortorum; ita de Lug. *l. c.* remittens ad Sanch. *l. 6. conf. c. 2. d. 9.* Sic quoque tenetur quilibet saltem ex charitate, ad denunciandum judicialiter crimen cedens in publicam perniciem reip. aut præjudicium tertii, si certum sit ei, denunciazione evangelica sufficienter occurrere non posse. Sanch. *l. 6. conf. c. 2. d. 9. n. 4. Sylv. v. denunciatio. Fachin. l. 9. contrrov. c. 86. cum communi.* Si verò ei occurrere potest, omnia judiciali denunciazione, evangelicè denunciandum crimen, nisi tamen specialiter expedit, ut crimen ad exemplum aliorum publicè vindicetur, Laym. *l. 3. tr. 3. p. 2. c. 4. n. 13.* Et sic in specie clericum teneri ad denunciazione canonicam criminis digni pœna sanguinis, quando aliter malum imminens reip. aut alicui privato impediti nequit; facta tamen protestatione debitâ quòd non intendatur vindicta, aut pœna sit solum impeditio damni, docet de Lug. *l. c. n. 16.* citans pro hoc Sanchez, *uri ante. n. 10.* idque ex ea ratione, quòd, cum hæc obligatio sit juris naturæ, non possit jure positivo impediti. Unde nec incurrit irregularitatem, si pœna sanguinis sequatur, cum irregularitas imposita non sit, pro casu, in quo Lex naturæ clericum obligat ad aliquid sub peccato.

*Quest. 32. Respectu quorum delictorum sit obligatio denunciandi ea judicialiter, orta ex interrogatione vel præcepto Superioris?*

**1. R** Esp. primò supponendo primò posse Superiores habentes indicia sufficientia interrogare de delicto hic & nunc commisso. Supponendo secundo, posse illos, & imprimis Episcopos, Vicarios, Visitatores, similesque Prælatos Ecclesiasticos, imò & Judices sæculares, præcipere sub variis etiam pœnis, ut qui tale vel tale delictum sciunt, illud manifestent, intellige, etiam judicialiter denunciando, nimirum in ordine ad vindictam publicam, Gl. in *l. civile c. de furtis. Abb. inc. delictis. de excess. Prælat. Nav. Soto,* quos citat & legitur de Lugo *l. c. n. 17.* conformiter usui & consuetudini approbatæ, in *Trid. sess. 23. c. 3.* Supponendo tertio in talibus edictis seu præceptis variam esse posse mentem præipientis, ratione objecti, vel modi denunciandi; dum quandoque præcipitur, ut manifestetur fama de delicto, aut ejus notorietas; quandoque accusatio; quandoque denunciazione, eaque vel evangelica, vel judicialis; quandoque testificatio: quæ mens ex ipsis verbis præipientis, vel interrogantis, vel etiam ex materia colligenda, ut de Lug. *l. c. n. 18.* quem vide. Supponendo quarto, Superiores in talibus edictis habere intentionem tacitam vel expressam, ut manifestatio fiat servato juris ordine in tali denunciazione servando Lug. *l. c.* Unde his suppositis

2. Resp.

2. Resp. secundò in genere, dum occultum delictum denunciari potest, est etiam obligatio denunciandi illud, eo modo, quo alias denunciari debet; secus, dum denunciatio est illicita. D. Thom. 2. 2. q. 3. a. 7. ad 5. Sylv. v. *correctio* q. 7. Navar. in *man. c. 17. n. 114.* Sanch. l. 3. tr. 3. q. 2. c. 4. n. 8. Unde denunciare quis non tenetur superiori interroganti de crimine occulto, dum illud incerto tantum rumore, vel à personis indignis fide novit. Sanch. l. c. n. 7. Nav. l. 5. *conf. 3. de heret. n. 1.* Cón. 10. 2. d. 27. *dm. 7. n. 61.* Laym. l. c. *coroll. 2.* Item denunciare non tenetur superiori interroganti, dum firmiter credit delictum plenè emendatum, & parti lætæ satisfactum; cum tunc cesset finis denunciationis, adeoque parcendum famæ aliis denunciandi, Nav. in *man. c. 25. n. 46.* Laym. l. c. *coroll. 1.* Item non tenetur judicialiter denunciare interroganti, neque licetè potest, si speret, se secreta admonitione delictum emendaturum, aut impediturum, Laym. l. c. *coroll. 3.* cum D. Thom. *cit. a. 7.* Nav. l. c. c. 22. n. 83. Guttier. l. 1. *can. 99. c. 11. n. 17.* Item denunciationem intermittere debet, interrogatus à Prælate de crimine occulto, si arbitratur ex ea majus incommodum aut scandalum oriturum, Nav. l. c. n. 29. Laym. *coroll. 4.* Qui licet addat, hæc à se dicta esse de denunciatione charitativa & canonica, videntur tamen non minùs locum habere in denunciatione judiciali.

3. Resp. tertio in genere. Videlicet præcipientis denunciationem est obligatio denunciandi judicialiter (de denunciatione siquidem judiciali hic agitur, cum juxta dicta supra q. 24. istiusmodi edicta ordinariè ordinentur ad forum æternum, adeoque de ea intelligenda, etsi in præcepto non fiat expressa mentio denunciationis judicialis) delicta non tantum ea, ad quæ sic denuncianda quis aliàs tenebatur, ut habet communis; superaddendo hac ratione priori obligationi obligationem seu debitum obedientiæ: Verùm etiam ea, quæ quidem poterat, sed non tenebatur denunciare, Sanch. l. 6. *conf. c. 2. d. 14. n. 1. & dub. 15. n. 8.* illud ut certum supponens de Lug. l. c. n. 30. qui licet aliquo modo id restringat, dicendo, plerumque ad hoc teneri subditos; probari tamen id ipsum posse ait ea ratione: quòd dentur delicta, ex quorum omnia denunciatione licet non oriatur magnum reip. damnum obligans secundum se ad denunciandum; quia tamen secum afferunt aliquid, ratione cujus eorum denuntiatio sit actus honestus, hæc præcipi possit, atque ita subditus, qui aliàs non tenebatur denunciare, jam vi talis præcepti teneatur obedire & denunciare. Unde jam etiam in specie vi talis præcepti esse obligationem denunciandi judicialiter delicta contra bonum commune vel in damnum privati, pendentiæ adhuc in fieri vel conservari, dum damnum tale est, quod quisque independentè à tali præcepto seu edicto tenebatur impedire omni via, etsi ea probati non possint in judicio, tanquam indubitatum tenet de Lug. l. c. n. 24. cum Dian. *tr. de denunciat. resol. prima.* citante pro se multos alios, probatque id ipsum ex usu communi, præsertim in tribunali S. Inquisitionis, ubi denunciare etiam jubentur illi, qui plenè probare non possunt. Ut & ex Bullis Pontificum Pii IV. & Greg. XV. in quibus poenitens jubetur denunciare confessorium sollicitantem in confessione ad restitutos: quod tamen poenitens, cum sit unicuique testis probare nequit, contrarium tamen tenentibus pluribus aliis relatis à de Lug. & inter eos Suarez *de censur. d. 20. §. 3. n. 11.* & Sanch. l. c. d.

R. P. *Leur. Jur. can. Lib. V.*

14. hoc nixis fundamento; quòd denunciatio judicialis ordinetur ad punitionem, quæ, quia fieri nequit, ubi delictum non probatur, sit inutilis; quod tamen fundamentum bene diluit Lug. n. 26. hac ratione: quod licet delictum probari nequeat, ejus tamen denunciatio serviat ad plura conducenda aut etiam necessaria ad punitionem denunciati, v. g. ad inquirendum specialiter de persona denunciata, eique invigilandum; item ad hoc, quod accedente ad hunc unicum testem denunciatores alio et ignoto, coram quo idem delictum potuit esse commissum, aut aliis indicis, quæ fortè iudex habet, accedentibus, jam plena confurgat probatio, ut denunciatus incarcerari & torqueri possit. Atque ita, si iudex præcipiat sub excommunicatione denunciari sibi crimen, quod probari nequit, tale præceptum non contineret errorem intolerabilem, ut cum Navar. ait Angel. v. *excommunicatio c. 3. §. 20.* Procederèque videntur hæc à fortiore, dum delicta sunt gravia, v. g. proditio reip. machinatio mortis principis, speciali eorum gravitate fortius urgente tale præceptum denunciandi delictum, etsi probari nequeat; v. de Lug. l. c. n. 25. qui de cætero n. 27. monet, circa denunciationem delictorum, quæ probari nequeunt, attendendum ad verba talium edictorum, num explicitè vel implicitè contineant præceptum denunciandi, etsi delictum probari non possit; item ad gravitatem materiæ; & in dubio semper præsumendum pro Prælate, cum velle denunciari ea delicta etiam occulta, quæ probari nequeunt; deque justitia talis præcepti & obligatione illud implendi, maximè in delictis, quæ sunt contra fidem & religionem, utpote ex quibus graviora & certiora mala oriuntur; dubitari nequit.

4. Resp. quartò. Contra vi edictorum non est obligatio in sequentibus casibus, primò, dum delinquens est omnino emendatus, omneque damnum reparatum, sublatoque scandalo, Reipublicæ (dum crimen erat publicum) satisfactum, deque ea emendatione & satisfactione constat certò, nec est periculum recidivæ; cum tunc cesset ratio præcipiendi, & finis denunciationis, & consequenter obligatio. Nav. in *summ. c. 25. n. 46.* Soto *de just. q. 5. a. 1. in fine.* & de sigillo *memb. 2. q. 6. concl. 2.* De Lug. l. c. n. 19. Avila *de censur. p. 2. d. 5. n. 4.* Estque responsio sic clausulata communis, secus verò est, si delictum fuit publicum, & correctio secreta, & vel sic reipublicæ non plenè satisfactum, aut scandalum sublatum; tunc enim superiorem habere adhuc jus ad procurandam reip. satisfactionem per punitionem publicam, & consequenter ad præcipiendam denunciationem judicialem, tradit de Lug. l. c. remittens ad Sanch. *ubi supra d. 15.* & Dian. *tom. 3. tr. 3. resol. 2.* qui etiam dicit, in dubio emendationis esse obligationem denunciandi.

5. Secundò, dum delictum in damnum solius delinquentis cedens est occultum, etsi probari possit, ex vi edicti non est obligatio denunciandi illud; cum iudex non habeat potestatem inquirendi de occultis, Sylv. v. *correctio* §. 7. Soto *de sigil. l. c. memb. 2. q. 4. coroll. 3. §. 4.* Avil. l. c. d. 4. du. 2. Lug. l. c. n. 20. sub hac limitatione; nisi delinquens non credatur alià vià emendandus, & aliunde speretur profutura denuntiatio ad ejus emendationem.

6. Tertio nemo tenetur vi edictorum peccata contra se commissa; cum enim sit consilium evangelicum, remittere injurias proprias, credendum non est, Superiores quoad hæc delicta præcipere contrarium, Ita de Lug. n. 21. si tamen constaret, aut præsumeretur rationabiliter, id eos præ-

cipere,

cipere, ex fine aliquo honesto præsertim contingente bonum publicum, uti possunt, non videtur quis liberari ab obligatione denunciandi illa delicta.

7. Quartò, Nec tenetur seipsum denunciare delinquens, ut Avil. *l. c. du. 7. Dian. tom. 1. tr. de denunci. resol. 8.* cum pluribus à se relatis; item de Lug. *l. c.* & consequenter nec complices denunciare tenetur, si eos manifestare nequit, quin suum delictum manifestet; nisi fortè delictum cederet in tam grave damnum commune, cui postponenda foret manifestatio proprii delicti. Dian. *l. c. resol. 9.* & de Lug. item sub dicta limitatione, Suar. *de censur. tom. 5. d. 20. §. 4. n. 18.* pluresque alii relati à Lug. Est tamen casus, in quo delinquens potest & tenetur manifestare proprium delictum, v.g. denunciando confessarium, à quo pœnitens sollicitatus in confessione ad turpia in eo confesit, absque eo, quòd hunc consensum suum manifestet, quin & absque eo, quòd iudex de hoc confitentis consensu confessarium illum interrogare, aut etiam de eo dicere volentem audire possit. Uti de hac obligatione manifestandi talem confessarium in dicto casu significasse Urban. VIII. litteris datis 1624. testatur Diana apud de Lug. *l. c.*

8. Quartò, Denunciare nunquam tenentur, quibus de delicto constat ex confessione sacramentali, sed neque irregulariter possunt, quibus notum ex petito ab eis consilio, aut remedio, v.g. Theologi, Advocati, Medici, obstetrices; cum servare in hoc casu secretum ad commercium vitæ humanæ necesse sit. Nisi tamen ex illa occultatione seu non-denunciatione sequeretur damnum reip. aut tertii alicujus, quod machinatur quis contra illum vel illum, Molin. *de just. tom. 6. d. 5. n. 6.* de Lug. *n. 37.* Sanch. *l. c. 2. du. 21. n. 3.* Fagund. *in decal. præcep. 8. c. 5. n. 7.* ex ea ratione, cum majus bonum sit miseris non præcludi viam consulendi viros doctos ac probos, ad remedium suæ miseræ corporalis, vel spiritualis, quam delicta taliter cognita denunciare puniendæ; contra Soto, *l. 5. de just. q. 7. a. 1.* ad aliòsque citatos à Sanch. *l. c.* quatenus dictam limitationem rejiciant, absolute dicentes, tales à denunciando non excusari, etiam si delictum non vergat in damnum alicujus. Sic etiam, qui sub juramento promissit, se non denunciaturum crimen, cujus notitiam sub secreto accepit, non potest, nec debet denunciare, non vi juramenti, quia sub secreto naturali ejus notitiam acceperat, limitanda tamen hæc ipsa assertio denuò; nimirum nisi ad vitandum damnum imminens ex culpa petentis consilium, à qua is cessare non vult. Unde cognoscens impedimentum matrimonii secreto, denunciare illud potest ad impediendum matrimonium, à quo contrahendo desistere non vult, qui impeditus est contrahere, de Lug. *l. c.* Quid verò sit de denunciando confessario sollicitante pœnitentem ab eo, qui id secreto accepit, statuet ex dictis *n. preced.* & desuper videri potest Dian. *tom. 1. tr. de denunci. resol. 24.* ad quam remittit Lug. *l. c.*

9. Sextò vi edictorum non tenentur denunciare reteras personas, qui contra eas in jure prohibentur, testificare, uti nec ii, qui quidem prohibentur, eogi tamen non possunt ad testificandum contra illas personas, propter conjunctionem cum eis, vel contra honorem, vel statum, ut Episcopi, sacerdotes, de quo v. de Lug. *l. c. n. 35.* qui tamen ait, eam de obligationem denunciandi admitti communiter ab aliis, quando sunt alii, qui denunciare possunt & denunciabunt, & ita tenet Sanch. *l. c. du. 18. n. 9.* Atque ita à denunciando delicta manifestari

præcepta etiam sub excommunicatione, de q. li. gari conjunctos intra quartum gradum, ex ea etiam ratione, quia propter magnam illam conjunctionem viderentur denunciare seipsos, tradit Lug. *cit. n. 33.* Excepta tamen hæresi (quod intelligendum de locis, ubi hæretici non tolerantur) propter maximum nocumentum publicum, quod ea afferit. Unde & teneri patrem ad denunciandum filium hæreticum, ex communi tenet Sanchez. *l. 6. consil. c. 2. du. 19. n. 3.* apud de Lug. consentientem, quin & filium teneri denunciare patrem, affirmant Suar. *de fide d. 20. §. 4. n. 21.* Dian. *tr. de denunciacione resol. 4.* Azor. Comisof. Sanctarel. Bonacin. & alii apud de Lugo, aliis ab eodem citatis id negantibus, Sanch. *n. 6.* id distinguente, nimirum filium teneri ad hoc, quando non est probabile alios denunciatus patrem, & quando hæresis est specialiter perniciosa reip. quia pater plures pervertit. Extenditur quoque hoc ipsum ab Avila apud de Lugo, ad delicta alia, quando hæc vergunt in magnum reip. detrimentum.

10. Septimò, In casu quo denunciator ex denunciatione timeret sibi grave malum in vita, honore, pecunia, quod quoque gravius, majorisque momenti contra bonum publicum, ut obligetur denunciare & subire damnum illud proprium. Sanch. *l. c. c. 2. du. 12.* varia adducens illius damni exempla. Dian. *tom. 1. tr. de denunci. ref. 7.* de Lugo *n. 36. cit.* quam pluribus.

11. Octavò, Dum edicto jubentur denunciare, qui sciunt vel audierunt, non tenentur denunciare qui audierunt à levibus personis vel ignotis, quas non possunt declarare, Sanch. *l. c. du. 16.* de Lug. *n. 38.* Quamvis, ut idem, tantum posset esse periculum ex omissione denunciationis imminens, ut quæcumque notitia, à quocumque hausta esset, utilis ad cautelam & malum avertendum, in quo casu iudicatur esse obligationem communicandi illam qualemcumque notitiam.

12. Nonò, Edicta fundata in præsumptione non obligare ad denunciationem illos, qui sciunt præsumptionem esse falsam, tenent Riccius & Valero apud Dian. *l. c. ref. 10.* docentem contrarium, ad quòd iudicium circa suspicionem non pertinet ad denunciandem, sed ad iudicium Ecclesiasticum, Lug. *l. c. n. 42.* distinguit; ita, ut non sit obligatio, quando non tantum præsumptio est falsa, sed neque quod præsumitur, est peccatum. Secus vero quando, quod falsò præsumitur, est peccatum; sic denunciandus adhuc confessarius sollicitans ad turpia, quia præsumitur suspectus in fide, etsi constet non esse in fide suspectum; delictum enim sollicitationis de se movet ad illam suspicionem concipiendam.

*Quest. 33. Quam diu durent hæc edicta, eorumque obligatio post eorundem promulgationem.*

1. **R**Esp. primò, Dum promulgata tempore visitationis alicujus ordinariæ, obligant pro toto solùm tempore, quod moraliter sufficit ad talem visitationem, adeoque qui ante hoc tempus vel intra illud novit delictum, denunciare tenetur; secus si eo tempore transacto novit illud, de Lug. *l. c. n. 39.* eum verò, qui intra illud tempus sciens delictum, culpabiliter omisit, teneri adhuc illud denunciare dicto tempore elapso, docet Sanch. *cit. c. 2. du. 25. n. 8.* cum Nav. & aliis, cuius contrarium tenet Fagund. *in decal. præcep. 8. c. 2.* cum Sayr. quibus consentire videtur de Lug. ad quòd præceptum illud

illud videatur alligatum ad tempus visitationis. Licet culpabiliter omittens intra illud denunciationem, jam incidit in excommunicationem, dum sub ea præceptum latum est.

2. Resp. Secundò: Edicta verò istiusmodi lata ab Inquisitionibus durant per totum annum, donec alia promulgentur, Lug. l. c. ut cum Sanchez & Avila.

3. Resp. Tertio: Dum aliàs istiusmodi edicta ab aliis Prælati, independenter etiam à visitatione, promulgari quandoque solent, assignatis tribus vel sex diebus pro termino, intra quem facienda est denunciatio; dies hi numerandi sunt, non à die promulgationis, sed notitiæ ejusdem; cum dentur hi dies, ut ii, quibus præceptum denunciare, consulere & considerare possint de rebus denunciandis, Sanchez. l. c. num. 6. de Lugo n. 40. Unde etiam notat Sanchez. L. 6. conf. c. 2. du. 25. n. 6. apud de Lugo. num. 41. quòd si quis ultimo die termini præfixi acceperit notitiam edicti, incipiant ei currere totidem dies, quot præfixi fuerunt denunciationi faciendæ.

4. Resp. Quarto: Edicta, quibus excommunicantur damnificatores, si non restituant, & scientes, si non revelent illos, semper obligant, donec damnificator restituat, nisi auctor edicti fuerit mortuus, vel officio motus; cum tunc expiret obligatio, Nav. in man. c. 27. n. 2. Sanch. l. c. n. 8. Lug. l. c.

Quæst. 34. An denunciationi judiciali præmittenda sit bina monitio charitativa?

Resp. negativè cum Layman. L. 3. t. 3. p. 2. c. 4. n. 13. Less. de just. L. 2. c. 3. du. 3. Castrop. de charit. rr. 3. d. 3. p. 16. n. 3. Molin. de just. rr. 4. d. 132. n. 6. Palud. Soto apud Reiffenst. contra Azor. p. 3. L. 13. c. 25. du. 5. Pirb. h. t. num. 91. quatenus docent binam monitionem requiri ad denunciationem, quæ sit in foro Ecclesiastico, non tamen ad faciendam in foro civili; pro ratione responsionis est consuetudo, usus & praxis omnium tribunalium, quæ nullus Judex de correctione illa charitativè facta interrogat, aut de ea faciendâ monet vel mandat; quòd tamen facere deberet, si prævia, secreta, fraternæ correctio ad valorem & substantiam judicialis denunciationis requireretur. Alia ratio desumitur ex fine hujus denunciationis principali, qui non est emendatio, vel bonum privatum delinquentis, sed vindicta publica ad bonum publicum, ut nimirum alii illâ terreantur, & à similibus committendis retrahantur. Unde talis denuntiatio potius actum justitiæ, quam charitatis contineat, Reiff. h. t. n. 99. His non obstantibus juribus, quæ in contrarium adferunt adversarii: quia loquuntur, non de denunciatione judiciali propriè tali, seu criminali ad vindictam publicam, sed de denunciatione evangelica, vel de canonica, quatenus hæc ad illam reducitur, vel intelligendi sunt in ordine ad pœnam, quæ de speciali jure, vel saltem de consilio requiritur. Et idè non loquuntur specialiter de denunciatione judiciali, quia eo tempore ea non fuit in usu, sed duo tantum modi judicialiter procedendi per viam nempe accusationis & inquisitionis, quibus jure novo & consuetudine accessit modus tertius, nempe per viam denunciationis propriè talis, quæ hodie frequenter loco accusationis adhibetur, & eosdem fructum cum hac effectus habet; ita Reiff. num. 101. Sed neque hæc posteriora elidunt dicendo jus canonicum in genere requirens monitionem præviam fundari in ju-

re divino evangelico, contra quod nulla dari potest consuetudo. Nam ex eo gratis dato plus non sequeretur, quòd ad licitè denunciandum judicialiter, (quòd præcipuè intendit Evangelium) requiratur monitio prævia, non verò, quòd etiam requiratur ad judicialiter denunciandum validè, de quo loquuntur Canonistæ: & præcipue procedit responsio nostra, altera quæstione, num requiratur prævia monitio ad denunciandum judicialiter licitè, seu sine peccato relicta Theologis discutienda. Ad quam, si respondeatur affirmativè, jam etiam necesse est dicere, requiri quoque dictam monitionem quoad forum civile, utpote in quo jus divinum non minùs, quàm in foro ecclesiastico obligat. De cætero certum apud omnes, quòd in casibus & circumstantiis omnibus, in quibus denuntiatio evangelica fieri potest licitè sine prævia monitione, à fortiore quoque sine illa fieri licitè possit denuntiatio judicialis: atque ita delictorum adhuc occultorum, quin & emendatorum, & eorum, quæ non nisi delinquenti nociva, & sic cujuscumque delicti denunciationem licitè fieri posse, modò probari possit, tradit Laym. L. 3. rr. 3. p. 2. c. 4. n. 13. citatque ab eo Pet. Nav. L. 2. c. 3. n. 254. Less. L. 2. c. 30. du. 3.

Quæst. 35. Quenam requirantur ad legitime procedendum in denunciatione judiciali?

Resp. Requiritur ferè eadem, quæ in accusatione, excepta inscriptione, quæ tamen & ipsa hodie vix est in usu, ut Less. de just. rr. 6. c. 3. n. 4. & juxta à nobis dicta supra: quia vices accusationis subit, ut Clar. cum communi. Proinde requiritur primò: ut in scriptis fiat, vel oretenus à denunciatore, prolata exceptaque per Actuarium, seu Notarium publicum, referatur in acta. Secundò, ut exprimat nomen Judicis, denunciatoris & denunciati. Tertio, qualitas seu species delicti, ejusdemque commissi locus & tempus, nimirum annus, mensis, & probabiliter etiam dies. Suntque hæc omnia de forma denunciationis hujus substantiali, & ita necessaria, ut si unum ex illis omittetur, processus sit nullus, & denunciatus absolvendus; ut Ludov. de Ameno tit. 9. v. denuntiatio, §. 4. q. 4. n. 36. Reiffenst. h. t. n. 94. cum Clar. aliisque communiter. Quarto requiritur, ut denunciator, licèt ipse per se delictum probare non teneatur, (in quo differt ab accusatore) teneatur testes denominare, instrumenta, probationes, aliaque media, quæ scit vel habet, judici suggerere, Arg. L. 6. §. 3. ff. de Senat. Consulte. Turpill. ut ex tali instructione Judex cognoscere queat, an delictum sufficienter probari, & consequenter is denunciationem recipere, inquirere, processum instituere, an verò eam rejicere possit vel debeat. Unde statim ab initio ad id teneatur denunciator; in quo iterum differt ab accusatore, qui etsi & ipse testes, aliasque probationes una cum libello producere possit, sufficit tamen, eum illos producere tempore, quo ad probandum erunt necessarii.

Quæst. 36. Quenam delicta judicialiter denunciari possint, vel non possint?

1. Resp. Omnia crimina, tam privata, quàm publica, tam aperta, quàm occulta, de quibus nulla adhuc infamia delinquentis, judicialiter denunciari possunt, quòd probari valeant, Fagn. in c. 24. h. t. n. 72. Passerin. in tribun. regular. q. 7. a. 3. n. 15. Laym. L. 3. rr. 3. p. 2. c. 4. n. 13. citans Pet. Navar. L. 1. c. 3. n. 254. Reiff. h. t. num. 88.

Arg. c. 3. in sine caus. II. q. 3. can. 3. caus. 6. q. 2. c. 27. c. 2. q. 7. ex ea ratione, quod publicitas & infamia delicti tantum requiritur ad processum instituendum media inquisitione, c. 2. & c. 24. h. t. dum in denunciatione denunciator supplet vices accusatoris: tum quia denunciatio judicialis principaliter non respicit bonum & emendationem delinquentis, sed publicam vindictam illius in exemplum & terrorem aliorum. Unde & hac denunciatio non attendit durantem adhuc bonam famam delinquentis, utpote quæ tanquam bonum privatum postponenda bono publico seu communi; quod sequitur ex Passerin. l. c. n. 17.

2. Dixi tamen: modo probari possit; siquidem delictum est occultum, ut probari legitime nequeat, (nisi vergat in præjudicium communis, vel tertii alicujus privati) denunciari judicialiter nequit; ita communis arg. c. 3. caus. 6. q. 2. & caus. 24. q. 8. l. 8. & l. fin. c. delatum. Cum enim delatum crimen non probatum legitime puniri nequeat, denunciatio hæc per se instituta ad vindictam publicam foret inutilis, ac ita sine fructu læderetur fama denunciati, talisque denunciator reputabitur calumniator, & pœnæ calumniatoribus statutæ, vel saltem extraordinariæ arbitrio judicis statuendæ obnoxius. Nec Judex vi illius ad inquirendum, formandumque processum procedere potest. Unde etiam rectè infert Reiffenst. n. 90. delictum soli delinquenti nocivum judicialiter denunciari non posse, dum unus solus præter delinquentem non habens ulla indicia alia, aut probationis media, id novit. Bene tamen, si duo præter delinquentem id sciant, quia jam probari potest. Nullus tamen eorum potest esse denunciator judicialis, etsi denunciationem ex certis causis utilem aut necessariam judicent: quia si unus eorum denunciaret, is non potest esse testis, ac ita jam non nisi unico teste existente, delictum probari nequit. Sitamen in hoc casu præter unum testem adessent indicia sufficientia commissi criminis, quibus cognitis superior dein judicialiter uti potest & inquirere, tunc fraternè denunciare potest esse testis, & sic per duos testes probari delictum. Unde tunc expedire, ut delictum non statim denunciatur judicialiter, sed fraternè, suadet Reiffenst. n. 91. additque n. 92. in dubio, an quis judicialiter deferre possit aut debeat, optimum esse, rem deferre ad Superiorem tanquam patrem, eumque consulere, num expediat delictum quoque denunciare judicialiter.

**Quest. 37. Coram quo fieri possit denunciatio judicialis, seu cujus sit, eam admittere?**

1. Resp. Primò in genere. Fieri non potest, nisi coram Superiore, vel Judice habente jurisdictionem in denunciatum, & pro eo foro, ad quod spectat delictum, de quo fit, vel causa, in qua fit denunciatio, ut habet communis. Hinc

2. Resp. Secundò in specie. Potest in foro ecclesiastico Judex ecclesiasticus generaliter & indistinctè, ubi intercurrit peccatum, admittere denunciationem evangelicam, seu charitativam: non tamen potest admittere judicialem, nisi in certis casibus, nimirum si denunciatus sit Clericus vel Regularis conquerens de injusta oppressione, quæ opprimitur à suo Prælato. Si Laici denunciati crimen sit ex natura sua ecclesiastici fori, v. g. hæresis, Simonia &c. Si in foro sæculari sit defectus justitiæ, quia vel denunciatio non auditur, ex negligentia Judicis; vel quia jurisdictio vacat nullo Judice

existente. Si violatum à Laico juramentum. Si denunciatus sit persona miserabilis. Si causa sit spiritualis, sive ecclesiastica, vel ei annexa, ut dum agitur de matrimonio dissolvendo, vel non contrahendo ob impedimentum canonicum, Pirh. h. t. n. 90. cum Abb. in c. novit. de judic. n. 48. Azor. pr. 3. l. 12. c. 21. du. 5.

**Quest. 38. Facta denunciatione judiciali, qualiter procedere possit aut debeat Judex?**

1. Resp. Primò: Facta legitime denunciatione propriè judiciali, non tantum potest, sed & tenetur ex officio inquirere Judex, sed & processum instituere, citando examinandoque testes, aliaque probationis media per denunciantem suggesta contra delinquentem: ita ut, si quod ex his omitat, peccet ob negatam vel neglectam justitiam, teneaturque ad syndicatam, & amittat jurisdictionem quoad illam causam; ita juxta Nov. 17. §. 1. c. 3. si tibi quoque. Gail. l. 1. observ. 28. num. 1. Brunnem. in process. inquis. Ameno in pr. crim. iii. §. v. denunciatio. §. 3. n. 10. quos citat & sequitur Reiffenst. h. t. n. 125. Dixi legitime facta denunciatione: si ea facta sine allegatione testium, denunciationem rejicere debet; nisi delictum denunciatum vergeret in damnum communis vel tertii; in quo casu pergere debet ad instituendum processum. Potest item facta denunciatione, si reus est suspectus de fuga, aut ne testes falsos subornet, vel veros impediatur, deterreatve à testificando, eundem incarcerare custodia causâ, etiam ante citationem, si delictum sit grave, adintque indicia sufficientia delicti commissi, aut illius semiplena probatio, v. g. per unum testem omni exceptione majorem, Clar. §. fin. q. 28. n. 2. Passer. irib. regul. q. 20. Ameno l. c. iii. 19. v. reus. n. 6. Reiffenst. n. 127. Arg. c. si Clericus. de sent. excom. Porro in foro sæculari de jure civili communi procedere potest Judex ex denunciatione judiciali publica suorum officialium, autoritate publica ad denunciandum deputatorum, Pirh. l. 7. c. de accus. Vel etiam secundum communiter receptam consuetudinem, ex denunciatione cujuslibet privati; cum publicè interfit, notitiam delictorum quocumque modo pervenire ad Magistratum, ne impunita maneant, Clar. l. c. q. 7. n. 2. Pirh. h. t. n. 94. Dum verò denunciationi privatæ judiciali, quæ alias competit parti læsæ seu offensæ ad proprium interesse, seu satisfactionem pro injuria, seu damno ei illato, propriè locus non est; quia v. g. qui prosequitur, quod sua interest, est servus, filius, vel alterius potestati subiectus, id eoque agere, accusare, vel denunciare propriè nequit dominum, patrem, alterumve, cui subiectus est; bene tamen queri, seu minùs propriè denunciare potest apud Judicem, quod injustè ab iis opprimatur: ad hanc querelam, spectato jure civili procedere potest Judex, cogendo eos ad satisfaciendum injuriato, vel damnum passo, Abb. in c. novit. de judic. num. 48. Azor. p. 3. l. 13. c. 21. du. 2. Pirh. l. c. juxta l. 1. §. quod autem. ff. de offic. pref. urb.

2. Resp. Secundò: Pendente judicio denunciationis & inquisitionis inter Prælatum & Subditum super criminibus Prælati denunciati, hic procedere nequit contra denunciante & inquirentem, quia per hoc suspensa est ejus jurisdictio, non secus, ac si ab eo appellatum, (intellige, quoad hoc negotium) in aliis enim causis potest in illos subditos suam exercere jurisdictionem, & hi illi tenentur obedire.

obedire. Interim Prælati denunciatus abstinere debet ab omni processu, per quem hoc negotium inquisitionis impediri posset, & totum iudicium iudici superiori relinquere, qui etiam omne, quod pendente hoc negotio agentum fuit, revocare potest ac debet. *Glof. in c. olim. h. t. verbo, post inceperunt negotium.* Hostiensis *ibid. v. eodem.* Abb. *n. 1. not. 1. Pirh. h. t. n. 97.* servato tamen dein ordine iudicario in inquisitione contra Prælaturam regularem: etsi non tam exactè, sicut in inquisitione contra Prælaturam sæcularem. Atque ita copia attestationum Prælati denunciato, imò & nomina testium exhibenda, secus, ac id necesse est fieri in inquisitione contra simplices monachos, *Gl. l. c. v. de plano.* Abb. *l. c. n. 2. not. 14. Pirh. l. c.*

3. Resp. tertio, dum crimen notorium est per evidentiam facti, sicuti non requiritur accusator, per quem crimen manifestetur, & in iudicio per probationem publicetur, juxta *c. 9. b. t. ita* non requiritur reliquus processus & ordo judicialis, nempe probatio, examinatio testium &c. (nisi fortasse ad cautelam, vel quando et si delictum notorium sit in locis remotis, notorium tamen non sit iudici, coram quo agitur) sed potest iudex tunc statim procedere ad eum condemnandum. *Clar. §. fin. g. n. 5. §. 6. Pirh. h. t. n. 104.* Quamvis tamen in delictis notoriis requiratur sententia declaratoria iudicis, juxta *l. 16. c. de pœnis.* quin etiam citatio ad audiendam sententiam. *Clar. n. 4. Pirh. l. c. cum Gl. fin. in c. super his.* Porro ut ob notorietatem & evidentiam facti, necessarius non sit ulterior ordo & processus juris, & procedatur ad condemnationem rei, requiritur, ut non solum factum sit notorium & evidens; sed etiam, ut qualitates facti sine notorietate; ita ut nulla defensio vel exculatio reo competere possit; cum aliàs contingere posset, ut occisor, v. g. habuerit justam causam occidendi, v. g. ad se defendendum, *Clar. l. c. n. 3. Azor. p. 3. l. 13. c. 22. §. alius modus.* Pirh. *l. c.*

4. Resp. quarto. Par tamen non est modus procedendi statim ad condemnationem cum deprehensio in flagranti, hoc enim cum non faciat plenam probationem, non sufficit ad condemnandum illum, saltem in delictis gravibus & pœnis; sed examinandus prius & interrogandus, in quo examine si fateatur delictum, statim procedendum ad executionem pœnæ; si verò neget, sine alio processu torqueri potest, si sit persona vilis; ita citatis *Claro. §. fin. g. 3. n. 2. & Azor. l. c. in princ.* Pirh. *n. 105.* Quamvis secundum eosdem requiritur, ut præcedat sententia à iudice subscripta.

### Quest. 39. Quinam sint effectus denunciationis judicialis?

1. Resp. primò. Respectu iudicis effectus illius primarius est, quod aperiat iudici viam ad inquirendum specialiter ex officio, & instituendum processum juxta dicta *q. præc. resp. 1.*

2. Resp. secundò. Effectus illius respectu denunciati est, ut licet is per denunciationem, uti & per accusationem non illicò evadat reus, nisi prius convictus vel confessus; *can. fin. caus. 15. q. 8. in fin.* aut etiam infamis, *l. furti §. 1. ff. de his, qui not. infam.* aggravet tamen estimationem & famam denunciati; ita ut is pendente denunciatione, uti & accusatione, donec terminetur causa, ad nullas dignitates & honores Ecclesiasticos aut sæculares promoveri possit. *c. 4. b. t. & ibi Glof. v. nunciatur.* addens rationem; quia opinio & fama promovendi non debet vacillare, *Barbos. ibid. n. 1. §. 2. Abb. Fe-*

*lin. Jo-Andr. Butr. Fagn. item l. 7. ff. de muner. & honor.* Ubi tamen additur, quòd elapso anno, postquam reus delatus non prohibeatur petere honores, nisi per ipsum steterit, quo minus causa intra annum expediretur. *l. regs. c. de reis post.* Pirh. *h. t. n. 41.* Unde denunciatio, pendente denunciatione, facta collatio dignitatis est nulla, nec convalescit, etsi postmodum reus per sententiam absolvatur, & declaratur innocens, sed opus sit nova promotione. *Fagn. incit. c. 4. h. t. n. 23. Pirh. h. t. n. 42. Reiffenst. n. 131. arg. l. qui status. ff. de re milu. cum in his spectetur principium, an nimirum tempore promotionis fuerit habilis. arg. c. 24. de elect. Card. incit. c. 4. n. 1. Fagn. n. 24. Anchor. n. 7.* Sed neque promoveri ad ordines potest denunciatus aut inquisitus, pendente denunciatione aut processu, *c. tantis. dist. 81. c. fin. de testibus & ibi Glof. v. pendente accus. Fagn. l. c. n. 7.* Neque accusare alium, *l. is qui. ff. de publ. iudic.* Pirh. *l. c.* Neque esse testis in criminalibus, nisi crimen sit exceptum, *c. fin. de testibus.* Neque procurator alterius, *l. reum ff. de procur. Glof. incit. c. fin. Anchor. incit. c. 4. h. t. not. 1. Reiffenst. l. c. Pirh. h. t. n. 42.*

3. Resp. tertio. Potes tamen denunciatus, uti & accusatus & inquisitus durante processu promoveri ad honores, officia, beneficia in sequentibus casibus. Primò dum delictum non est grave, sed leve, *arg. cit. c. 4. h. t. Fagn. ibidem n. 7. Pirh. l. c. limit. 2. Reiffenst. n. 113.* Quamvis autem numerentur inter gravia, & quamvis inter levia, id est, non excedentia peccatum veniale, vide *c. 3. dist. 25.* Secundò dum ex conjecturis apparet, aliquem accusari, denunciari, inquiri per calumniam, eoque animo, ut ejus promotio impediatur, *l. 29. §. si vero. ff. de liberali causa. Glof. in c. tantis. dist. 81. v. obrepit. Felin. incit. c. 4. h. t. n. 3. Fagn. ibid. n. 23. Jo-Andr. n. 3. Pirh. l. c. extens. 2. Reiffenst. n. 12. g. 134.* tertio, si dum denunciatio non est legitima, aut defectum alicujus ad eam essentialiter requisiti, aut legitimi denunciatoris *c. 13. h. t. Felin. l. c. n. 2. limit. 2. Fagn. l. c. n. 14. Pirh. h. t. n. 43. Reiffenst. n. 135.* cum & ipsa sententia condemnatoria, etiam super crimine famoso, si sit nulla ob defectum jurisdictionis, vel vitiosum processum, non infamet, juxta *c. 7. §. quia ergo. caus. 2. g. 2. Fagn. Pirh. l. c. cit.* Quarto, dum accusatio vel denunciatio non inventatur criminaliter, sed solum civiliter ad interesse proprium, quia ea non infamat, *c. 5. de procur. c. super his. h. t. in fin. Fagn. l. c. n. 15. Pirh. l. c. limit. 4. Reiffenst. n. 136.* Quintò, dum accusatur vel denunciatur integrum collegium, pendente lite, nulla persona ex tali collegio impeditur promoveri ad honores, nisi quæ specialiter seu nominatim accusata vel denunciata. *Archid. in c. tantis. dist. 81. Felin. l. c. limit. 3. Pirh. l. c. limit. 3.* in eo verò, an denunciatus, & accusatus per hoc quoque inhabiles sint ut promoveantur ad dignitates via electionis, non ita convenit inter AA. affirmant plures absolutè apud Fagn. alii negant, ut *Reiffenst. h. t. n. 40.* citans pro se Fagn. (ad quem etiam remittit Pirh. suspensa propria resolutione) non nisi tamen sub hac limitatione; si nulla præcessit juris aut facti infamia, addita ratione; si sola denunciatio redderet ineligibilem, præberetur locus multis fraudibus & figmentis, quibus vacante beneficio electivo denunciando impedirent eligendum. De cætero denunciatio, uti & accusatio, non impediunt honoris, dignitatis, officii jam possessi administrationem aut exercitium. *Abb. inc. 4. h. t. n. 3. Felin. n. 1. Pirh. h. t. n. 42. in fin. Reiffenst. n. 138. arg. l. 1. §. quamvis autem. ff. de postul.*

de postul. l. quod si forte ff. de solut. l. reo criminis. ff. eod. ex ea generali ratione; ut iidem, quia accusatio, denunciatio, inquisitio pendentes, etsi inhabilem reddant ad jura de novo acquirenda, non tamen privant jure jam quæsito, nec ejus executio. Unde Prælati accusatus, vel denunciatus à subditis, vel aliis non impeditur ab exercenda jurisdictione in suos, nisi quoad negotium, super quo denunciatus juxta dicta supra, neque ab administratione bonorum, nisi suspectus & denunciatus de eorum dilapidatione; juxta c. fin. h. t.

4. Resp. Quattò. Sunt & alii effectus denunciationis, accusationis, & inquisitionis judicialiter respectu rei, nimirum primò, quod denunciatus & inquisitus interrogati legitime teneantur fateri veritatem, Reiffenst. n. 142. dicens in suo ordine id

certum, & ibi etiam imponi reo juramentum de fatenda veritate & alii cum communi, debetque hæc præsentis rei responso fieri ad libellum accusatorium regulariter viva voce rotundè & clarè affirmando vel negando, ommissis verbis dubiis, incertis & non specificis, quibus reus dicit se credere, putare, ignorare, aliisque non sufficientibus, nisi forte factum sit antiquum vel in ebrietate commissum, Brunnem. de process. c. 14. n. 13. & 14. Ummitus de process. c. 12. tb. 4. aliique apud Lauterb. in ff. h. t. §. 18. Ubi etiam quod nutu facta confessio ad pœnam mortis non sufficiat, Possè tamen reum exceptiones declinatorias tam adversus accusationem quam inquisitionem, ut desistatur, proponere & declarare cum Mevio. p. 6. decis. 291. afferit Lauterb.

### CAPUT III. De Inquisitione.

Quæst. 40. Inquisitio quid sit & quotuplex?

**R** Esp. ad primum: Inquisitio criminalis, de qua hic, (dum aliàs hoc nomine generalissime accepto in jure denotatur quandoque cujuslibet rei indagatio) ut sic defini solet passim ex Gonz. ad c. 21. h. t. n. 8. quòd sit criminis vel criminosis per judicem legitime facta investigatio, dicitur primò: criminis vel criminosis, ut vel sic comprehendantur omnes ejus species, dum aliqua illarum versatur circa delicta quasi in abstracto, alia circa personas ea committentes. Dicitur secundò: facta per judicem, intellige competentem. Dicitur tertio: legitime facta, hoc est, juxta præscriptum canonum & legum, uti singula hæc declarabuntur in sequentibus.

2. Resp. ad secundum: Inquisitio principaliter dividitur bifariam, vel, ut plures, trifariam, nimirum in generalem & specialem, quibus aliqui addunt mixtam. Generalis proprie talis, seu ut alii, Generalissima est; cum judex vel superior generalia, nulla expressa persona aut delicto, ex mero officio, seu nullo accusatore aut denunciatore urgente, eorum vices supplente fama, indicibus, vel ipsius officii debito, vi cuius potest indagare, & quandoque suis temporibus tenetur tam juxta jus canonicum c. 1. de off. ordinarii. c. Romana. censibus in 6. juncto. Trid. cess. 25. de regul. c. 8. quam civile l. 13. ff. de off. præsid. bono communi sic exigente, indagat, an in provincia, dicecesi, civitate, monasterio delicta aliqua facta, an leges & statuta serventur, arg. c. 1. de off. ordin. c. 29. de præb. & dignit. c. 25. h. t. Uti faciunt Episcopi visitando dicecesin, superiores regulares monasteria, Præsides sæculares provinciam, instituta quandoque hac inquisitione generali judicialiter, cum tamen ea ordinariè, præsertim apud regulares & Episcopos non nisi paternè ad emendationem & præcautionem, & non ad vindictam publicam delictorum per eam deprehensorum instituantur: potest nihilominus etiam in ordine ad judicialem pro exemplo aliorum institui, prout cum communi sentire videntur Clarus. §. fin. q. 6. n. 1. Farin. in p. 2. judic. part. 6. c. 1. de inquisit. n. 29. Lib. in c. 1. de off. ordin. Pirh. l. c. n. 50. quos citat & sequitur Reiffenst. h. t. n. 153. arg. cu. c. 1. §. l. 13. ff. de off. præsid. Unde & inquisitionem hanc generalem subdividi in paternam (canonice tamen ac legitime institutam) & judicialem asserit Reiffenst.

n. 153. & 154. Inquisitio specialis proprie talis est, dum judex vel ex mero officio suo vel ad alicujus privati querelam, aut ad officialis seu ministri publici ad hoc constituti denunciationem indagat de delicto aliquo in specie interrogando, v. g. num Titius commiserit hoc homicidium, de quo commissio constat. Fagn. in c. qualiter c. 2. h. t. n. 62. Marant. l. c. n. 12. cum communi & de hac potissimum agitur hoc loco. Mixta prout à generali proprie dicta distinguitur, est, dum judex aut superior nulla determinata seu expressa persona de certo aliquo crimine inquirit, respectu plurium personarum, quarum earum id commiserit; vel è contra nullo expresso crimine, de certa persona inquirit, an aliqua crimina commiserit, an leges observet, an violat, qualiter in officio suo se habeat?

Quæst. 41. Quinam & contra quos inquirere possunt vel non possunt?

**R** Esp. ad primum: Quilibet judex, sive sit sæcularis sive Ecclesiasticus, inquirere potest inquisitione tam generali quam speciali & mixta, modò sit competens, alioquin inquisitio erit nulla. Sylv. v. inquisitio q. 1. dicto 2. Marant. l. c. n. 102. Pirh. h. t. n. 49. juxta c. irrefragabilis 13. de offic. ordin. & toto tit. c. si non à compet. jud. sic nulla est inquisitio tam civiliter, quam criminaliter facta à iudice sæculari contra personam Ecclesiasticam. Farin. pr. crim. p. 1. l. 1. tit. 1. q. 1. n. 55. cum communi juxta c. 8. & 10. de judic. c. 2. de foro compet. Sic criminaliter inquirere nequeunt non habentes merum imperium seu jus Gladii & potestatem cognoscendi causas criminales, nisi fortè incidenter, dum causa criminalis connexa alteri causæ principali, quæ sine ea definiri nequit. Farin. l. c. n. 56. & 57. Pirh. l. cit.

2. Resp. ad secundum: Primò ante omnia, ut inquisitione speciali contra aliquem inquiri possit, debet is esse subiectus jurisdictioni inquirentis, quoad articulum, super quo inquiritur, cum alias non sit judex competens inquisiti. Sylv. l. c. q. 3. n. 5. dicto 1. Pirh. l. c. quamvis is etiam judicem competentem reculare possit, dum is ei suspectus est. Sylv. l. c. n. 6. Secundò de jure debet esse præsens, aut saltem citatus per contrumaciam absens, quamvis id curiarum praxi non observetur, cum etiam contra absentem non citatum inquiri possit, ut Farin. l. c. q. 1. n. 69. Clar. l. c. q. 11. n. 2. quos citat & sequitur Wiestn. h. t. n. 95. Tertio ut non sit abso-

latus legitime, à crimine de quo inquiritur, de crimine enim à quo absolutus per sententiam definitivam, vel etiam condemnatus vel punitus denuo inquiri nequit. Abb. in c. de his. h. t. Alexand. vol. 1. conf. 1. col. penult. Marant. p. 6. tit. de inquisit. n. 49. limitans id ipsum pluribus num. seq. juxta ea, quæ dicta sunt supra de accusatione & denunciatione q. 17. plura huc spectantia ad personam, qualis ea esse debeat, ut de ea inquiri possit, dabunt *quest. seq.*

*Quest. 42. De quibus delictis inquiri possit ex officio nemine accusante aut denunciante?*

**R** Esp. in genere judicem competentem procedere posse ex officio ad inquirendum de quibuscumque delictis præcedente accusatione vel denunciatione tam de jure civili, quam canonico. Et è contra sine iis prævisis id regulariter eum non potest, tanquam regulam supponunt passim AA. Marant. l. c. n. 105. Farin. l. c. n. 8. atque etiam Judex de omni crimine, in quo intervenit accusator, & pendente accusatione in iudicio deducta moritur, inquisitionem prosequi debet, ne delicta impunita permanent, Marant. l. c. n. 180. cum Bart. in l. 3. §. 1. col. fin. ff. de lib. agnos. & in l. inter accusatum. ff. de judic. publ. & id locum habet, accusatore absente, vel accusatore desistente, colludente & transigente, Marant. l. c. Nihilominus hodie ex recepta generali locorum consuetudine, etiam de jure & foro civili permissum est Judici in omnibus delictis procedere ex officio, sine accusatione & denunciatione; ac ita inquisitio, quæ aliàs non erat, nisi remedium extraordinarium, quæ Judex sic procedere poterat, non nisi in delictis exceptis, facta est remedium ordinarium, non secus ac accusatio & denunciatio, Pirh. h. t. num. 49. teste Clar. l. c. q. 1. n. 3. lim. 3.

2. Resp. Secundò in specie: Potest inquiri de crimine ad pœnam ordinariam, de quo quis absolutus per viam denunciationis evangelicæ, quia per dictam denunciationem actum tantum fuit, ut denunciatus emendaretur, non ut puniretur, Marant. l. c. n. 86. Item de delictis, è quibus absolutus in foro conscientie; quia etiam salutarem pœnitentiam pro his receperit, perque eam satisfactio præstita Deo & Ecclesie; non tamen republicæ per delictum offensæ, adeoque in ordine ad pœnam legitimam inquiri potest, Marant. l. c. n. 87. citatis Felin. & Abb. in c. de his. h. t. Secundò, id potest etiam ad commodum privariorum circa crimen usuræ manifestum, dum usurarius extorsit usuras ab aliquo debitore, quas fortè ob ejus potentiam debitor repetere non audet, ita tunc nemine petente potest inquirere contra eum, & compellere ad restitutionem usurarum, c. cum in diocesi de usur. Abb. in c. iuar. eod. tit. not. 2. ubi etiam, quòd possit ex officio impedire, ne usuras necdum solutas exigat, Marant. p. 6. t. de inquisit. n. 106. An verò possit Judex etiam ecclesiasticus inquirere criminaliter contra usurarium, eumque puniri pœna criminali, non convenit inter AA. adstruit Marant. n. 111. & utriusque sententiarum rationes deducendo, ac tandem adherendo affirmativè eandem fusiè stabilis; quem vide. Tertio, in omni delicto, quod committitur per conspirationem, dum nempe plures conspirant seu conjurant simul in aliquo malum, L. 1. c. de monopolis, & ibi. Bald. Marant. l. c. n. 128. qui etiam n. 129. varias pœnas taliter conspirantium enumerat. Quarto, in omni causa miserabilium per-

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. V.

sonarum (quales censentur pupilli & viduæ, dum pauperes sunt, secus si tales non sint, Marant. n. 233.) potest ex officio Judex inquirere ad privatum etiam earum commodum, in injuriam illis illatam, Abb. in c. ad nostram. il. 2. de jurejur. col. 2. in fin. Alex. in l. 1. ff. de jur. omn. judic. col. 1. alique citari à Marant. n. 232. quin & dando illis ex officio advocatum, L. nec quidquam. ff. de off. procur. Quintò, in casibus & delictis, quæ notoriè liquent Judici ex actis, etiam ea nemine petente supplendo, v. significaverunt de testib. Felin. in c. ex tenore de rescriptis col. fin. Marant. num. 234. quin & inquirere sic potest de omni crimine undecumque notorio, L. ea quidem c. de accusat. & ibi. Bald. Salic. Marant. n. 162. Sextò, potest Episcopus, seu Judex ecclesiasticus habens suspicionem de parentela conjugum, nemine petente inquirere de quolibet impedimento matrimonii, c. porro. in fin. de divort. Abb. ibid. Gl. in c. 1. de offic. ordin. v. Canonis. Marant. n. 136. Septimò, in omni crimine & injuria commissa contra Ecclesiam & ecclesiasticas personas, aut etiam commisso in Ecclesia, L. quis in hoc. c. de Episc. & Cleric. & ibi. Bald. Marant. n. 141. Octavò, in omni crimine Sacrilégii, & in specie in blasphemia Dei, Marant. num. 143. & 144. Nondò, contra tutorem suspectum, etiam ad removendum illum ab officio, L. 3. §. prater ea. ff. de suspect. tut. & ibi. Bart. Marant. n. 147. idque favore pupilli, dum aliàs ad privati utilitatem ita inquiri nequit, Marant. l. c. Decimò, de omni delicto commisso contra se, vel in iudicio incidenter, dum ipse cognoscit de causa principali, Bald. in l. jubemus. c. de prob. col. 2. in fin. Marant. n. 151. quin &, ut idem n. 157. Ubicumque Judex incidenter cognovit de crimine, potest de eo inquirere nemine accusante. Undecimò, ita inquirere potest de delicto commisso per suum officialem in officio, non tamen de commisso extra illud, nisi sit notorium, Bart. in l. si quis forte. §. 1. ff. de pœnis. Marant. n. 161. Duodecimò, de omni crimine, de quo præcessit inquisitio generalis ad inveniendos malefactores; cum ea inquisitio sit præparatio ad specialem inquisitionem contra eosdem repertos, Bart. in l. jubemus. c. de probat. col. 2. Bald. in l. ea quidem. c. de accusat. col. 7. Abb. in c. bona. il. 1. de elect. not. 6. Marant. n. 164. & 174. Decimò tertio, de crimine lenocinii inquirere potest sine accusatore, Marant. n. 162. idem cum Angel. dicens n. 170. de adulterio, aliis id ipsum limitantibus; si sit notorium. Decimò quartò, de crimine læsæ majestatis per extrav. ad reprimendum, Marant. n. 175. quamplurimos alios casus. in quibus Judex inquirere potest, nemine accusante vel denunciante, vide collectos à Marant. à n. 106.

*Quest. 43. Fama & infamatio, quæ & quotuplex, qualem probationem faciat, & quali ipsa probatione indi-geat?*

**R** Esp. Primò: Fama sumitur tam in bonam, quam malam partem, in priore acceptione, est nomen bonum, seu status illæ dignitatis, moribus ac vita comprobatus, L. 5. §. 1. ff. de var. & extraord. cogn. Pirh. h. t. num. 57. not. 4. cum Mascard. de prob. vol. 2. concl. 747. n. 3. In secunda acceptione est idem, quod infamia, diciturque status læsæ dignitatis, vita & moribus reprobatum, ut Fagn. in c. 7. de cohab. cler. & mulier. Pirh. l. c. dicitur fama clamorosa, quæ latè divulgata, Abb. in c. qualiter & quando. num. 5. differt à rumore, quod

quod is ab incerto, fama à certo autore prodit, quoddam fama per totam vel majorem viciniam partem sparsa, rumor non nisi per minorem, AA. in cit. c. 7.

2. Resp. Secundò. Fama, etsi sufficiat ad inquirendum contra infamatum, Clar. §. fin. q. 2. n. 1. Pirh. b. t. n. 58. not. §. se sola tamen, nec in civilibus, nec in criminalibus plenam probationem facit; ut idem cum Glos. in cit. c. qualiter. v. famam. imò nec semiplenam in criminalibus, utpote in quibus requiritur probatio luce meridiana clarior, ut Farin. in prax. crim. p. 1. l. 1. tit. 5. q. 47. n. 39. faciet tamen probationem plenam, si orta fama ex verisimilibus causis & conjecturis, adsintque insuper alie conjecturæ & præsumptiones graves, urgentes, ex se sufficientes ad semiplenam probationem confirmendam, Farin. l. c. n. 88. Masc. concl. 1223; n. 22. & seq. quos citat & sequitur Pirh. l. c.

3. Resp. Tertiò: Dum ad inquirendum prærequiritur probatio seu infamia, non hoc ipso requiritur probatio infamiae, seu ut Judex processum inquisitionis incipiat à probatione infamiae; sunt enim hæc duo: *præquiri infamiam, & præquiri probationem infamiae*; valde inter se distincta; sed sufficit ei, de illa constare quacunque ratione; ita Glos. incit. c. qualiter b. t. v. acquirendum. Abb. ibidem. n. 17. Fagn. n. 64. Pirh. b. t. n. 75. idque, etiam si inquirendus negaret se infamatum, Pirh. l. c. Sed neque tenetur Judex, dum procedit ex officio, tacere fidem de infamia, cui enim eam faceret, cum ipse sit Judex? Pirh. l. c. tenetur tamen plenam fidem de ea facere Judex à quo coram Judice ad quem, si inquisitus appellaret, Abb. Fagn. l. c. Jo. And. in idem c. qualiter b. t. num. 36. his præmissis tanquam prænotatis sit

*Quest. 44. An & quando infamia prærequiratur ad inquirendum generaliter?*

Resp. Inquisitio generalis, seu generalissima, quæ fit ad investigandum non unum, sed plura in genere delicta, ut institui possit etiam judicialiter, nullius in particulari personæ infamia prærequiritur, Abb. in c. 1. de offic. ord. Farin. l. c. p. 1. l. 1. de inquis. tit. 1. q. 9. n. 18. Marant. l. c. n. 29. Clar. §. fin. q. 6. n. 1. Less. de just. l. 2. c. 29. n. 108. de Lug. de just. d. 37. f. 5. n. 56. Pirh. b. t. n. 50. Wiestn. n. 74. & 75. cum comm. DD. tam Jurist. quam Canonist. juxta praxin quotidianam tribunalium, tam sæcularium, quam ecclesiasticorum etiam regularium, ex ea ratione, quod hæc inquisitio necessaria sit ad purgandam rempublicam à criminibus, & refranandos mores perditos; & ex altera parte nulli per eam fiat injuria, cum de nullo in particulari inquiretur. His non obstantibus, quod quorundam scelera occulta detegantur; cum id sit per accidens, & præter intentionem inquirentis in ea solùm, quæ jam publica sunt, eique incommodo prævalere debeat bonum commune, dum hac ratione manifestantur multa crimina mansura aliàs incognita & impunita, Pirh. l. c. Unde jam etiam subditi interrogati in hac inquisitione, etiam sub juramento non tenentur respondere manifestando delicta occulta illorum, qui ratione illorum nulla laborant infamia, Arg. cit. c. qualiter. Pirh. n. 51. Lug. l. c. remittens ad Less. l. c. num. 109. & Suar. Tom. 4. de relig. t. 10. l. 10. c. 1. num. 7. Quin & nec licet interrogari possunt de talibus delictis occultis, si probari nequeunt in judicio, & consequenter nec puniri; cum tunc manifestatio il-

lorum serviret tantùm ad injustam infamationem, & sic peccaretur contra justitiam, Pirh. l. c. citatâ Lessio, ubi ante n. 112. & Laym. l. 3. t. 6. c. 2. n. 3. cujus proinde rationem reddidit de Lugo l. c. Quod Prælatus nequeat, præcipere aliquid, contra jus naturæ obligans ad non diffamandum proximum, quamvis addat, hæc rationem non videri omnino efficacem, ex eo, quod qui sciens occultum delictum, potest illud probare in judicio, possit, si velit, desuper accusare, adeoque Judex obligando illum ad manifestandum illud, nihil iniquum ageret, adeoque nec præcipiendo illud manifestare, si desuper interrogetur. Verùm neque manifestari posse delicta occulta, etsi probari possent in judicio, constat ex eo; quia interrogatio & manifestatio tenderet ad punitionem; cum tunc requiratur infamatio; ita Less. Pirh. l. c. nisi fortè manifestatio facta Prælato necessaria esset ad emendationem delinquentis, (in quo casu manifestandum Prælato, non tanquam Judici, sed tanquam patri) vel nisi necessarium ad avertendum grave malum reip. vel privati innocentis, Less. n. 122. Pirh. l. c. cujus tamen postremo contrarium asserere videtur Reiffenst. dum n. 158. ait, inquisitionem generalem judicialiter, id est, ad punitionem & vindictam institui posse nulla præcedente infamia, arg. e. i. de offic. ordin. quam limitationem etiam adjicit de Lugo l. c. n. 57. & 58. Neque lucusque dictus de inquisitione generali advertantur textus quidam juris expressè requirentes præviam infamiam, cum hi non de generali, sed specialiter inquisitione intelligendi, Reiffenst. b. t. n. 160. cum Passerin. in tribun. regul. q. 8. n. 13. & 14. & Ameno. De cetero, ut iidem, etsi non requiratur infamia vera, requiratur tamen aliqua suspicio, præsumptio vel indicia, aut aliqua relatio alicubi committi delicta, & esse homines morum depravorum, dum inquisitione generalis instituitur judicialiter, eò quod, cum taliter instituta tendat ad punitionem & vindictam publicam, ad quam nemo condemnari potest sine accusatore, & nemo esse possit simul accusator, aut denunciator & Judex, adesse debeat aliquid, quod loco famæ deficientis vices accusatoris & denunciatoris subeat, quale quid sunt dicta indicia, præsumptiones, suspensiones; ita Reiffenst. b. t. n. 162. unde dum Pirh. alique ajunt, ad inquisitionem generalem procedi posse sine ulla prævia occasione, intelligendi sunt de inquisitione generali instituta paternè ex mero inquirentis officio, ut fit ordinariè dum Episcopi diocæsi, & regulares visitatores monasteria visitant.

*Quest. 45. Ad inquisitionem mixtam, an & qualiter prærequiratur infamatio?*

1. Resp. Primò: Inquisitio mixta seu generalis secundùm quid (nimirum respectu personæ) dum ubi de delicto commisso constat, inquitur solùm generatim in personam, quæ illud commiserit, non tantùm potest, sed & debet institui nulla præcedente infamiatione, aut etiam suspicione de aliqua in particulari persona, Farin. l. c. q. 9. n. 18. Clarus §. fin. q. 5. n. 5. Less. cit. c. 29. n. 114. Laym. l. 3. t. 6. c. 2. n. 3. Suar. l. c. c. 11. n. 4. de Lug. l. c. n. 58. Pirh. b. t. n. 54. cum communi & juxta praxin ordinariam utriusque fori, Arg. l. 1. §. qui questionem. ff. de quest. contra Cajet. & Sot. apud Less. negantes licere talem inquisitionem, Quod autem possit institui talis inquisitio, ex eoque, quod per eam nullius fama lædatur, quam

ditu inquiritur, quis hoc fecerit, aut quinam defu-  
per infamati laborent suspitione; et si per eam de-  
in aperiatur via ad specialem inquisitionem, dum  
interrogant denunciant aliquem, aut talia produunt  
indicia, aut rationabiles suspiciones, ut inde deve-  
niri possit in notitiam rei talis criminis, Clar. Pirh.  
h. c. Reiffenst. h. t. n. 116. quod verò debeat in-  
stitui, ex eo conficitur; quod nisi fiat etiam nulla  
præcedente fama, id redundaret in gravissimum  
populi scandalum, cum videret, Judicem non in-  
quirere in authorem notorii criminis & criminosi;  
præterea præberetur occasio audaciùs delinquendi  
spe impunitatis. Notandum hic denud, quod sub-  
diti interrogati non teneantur in hoc casu manife-  
stare authorem occultum criminis, nisi de eo infa-  
mia publica aut sufficientia forent indicia; cum Ju-  
dex aliter jus non habeat interrogandi de delictis,  
multòque minus reus seipsum prodere, Pirh. l. c.  
cum Less. l. c. n. 128. sub eadem tamen limitatio-  
ne, nimirum nisi crimen adhuc esset continuandum,  
aut immineret inde grave damnum alteri, quod ali-  
ter declinari non posset. De cætero de delicto in  
specie, inquirere potest Judex, etiam si de eo non  
constet certò, nec adsit fama de eo commisso, mo-  
dò sint indicia alia, præsumptiones aut suspiciones,  
Reiff. n. 167. addens n. 168. in hoc casu inquisi-  
tionem institui non posse, ne quidem in genere de  
delinquentibus, nisi de corpore delicti constet certò.

2. Resp. Secundò: Inquisitio mixta seu gene-  
ralis respectu omnium criminum contra personam  
in specie, an nimirum tea sit aliquorum criminum,  
institui potest paternè, etiam non præcedente ejus  
infamia, ut constat ex universalis superiorum, tam  
secularium, quàm ecclesiasticorum, etiam regulari-  
um consuetudine & praxi; dum Episcopi, eorum-  
ve Visitatores, de Parochis, aliisque Clericis in spe-  
cie, Visitatores regulares v. g. provinciales de Re-  
ctoribus, Guardianis, Prioribus, aliisque Subditis  
in specie paternè indagare solent, qualiter se gerant  
in officiis suis, num leges & statuta, & disciplinam  
servent, vitis aliquibus & excessibus dediti sint,  
Reiff. n. 168. cum Amenopr. crim. tit. 11. v. in-  
quisitio. §. 2. n. 2. & 12. Non tamen sic institui  
potest judicialiter, ut iidem, cum de delictis, quæ in  
specie non expressa Superiori ut Judici proponun-  
tur, nemo possit accusari, denunciari, aut infamari  
in ordine ad hoc, ut is judicialiter inquirere & pro-  
cedere valeat.

*Quest. 46. An & quando prærequira-  
tur infamia inquirendi ad inquisitio-  
nem specialem?*

1. Resp. Primò, ad inquisitionem specialem  
simpliciter, id est, contra certam personam  
de certo delicto instituendam judicialiter ex officio  
nemine accusante & denunciante, regulariter ne-  
cesse est præcedere infamationem ejusdem personæ  
de eodem crimine, Clar. §. fin. q. 6. n. 1. Fagn. in  
c. qualiter. 1. §. 2. h. t. n. 46. Farin. l. c. q. 9. n. 1.  
Less. l. c. n. 121. de Lug. l. c. n. 56. Wiestn. h. t.  
n. 76. Reiffenst. n. 173. juxta c. inquisitionis. §. 3. c.  
oportet. c. qualiter h. t. c. de simon. si is, qui, in 6.  
ex ea ratione, quod ad punitionem publicam crimi-  
num procedi nequeat sine scientia publica, qualis  
non habetur, nisi per evidentiam facti, ejusve legiti-  
mam probationem, vel rei confessionem aut ac-  
cusationem, vel denunciationem, vel alia indubitata  
indicia, vel infamationem. Hæc in specie requi-  
runtur, dum alia deficiunt, uti deficiunt, dum Judex  
purè ex officio, nemine accusante vel denunciante,

R. P. Lewr. Jur. Can. Lib. V.

aut aliter petente, nullis etiam indicis aut præsum-  
ptionibus apparentibus inquiri, ne aliàs in hoc casu  
ob deficientes infamationes prævias, vel per ipsam  
inquisitionem siue iis factam suspicaretur esse talis,  
vel etiam de aliquo, num sit fur, homicida, adulter;  
gravissimè læderetur fama inquisiti, dum à populo  
haberetur pro tali, vel ex hoc ipso, quod desuper  
inquisitus sit. Unde jam etiam in hoc casu Præla-  
tus regularis hæc inquisitione in ordine ad penam  
gravem, vel incarcerationem, ejectionem procedere  
nequit contra religiosum sibi subditum non infa-  
matum, propter generalem compositionem juris,  
ad istiusmodi inquisitionem exigentis diffamatio-  
nem, & non excipientis regulares; Sylv. v. inquisi-  
tio. q. 3. d. 2. Sanch. consil. L. 6. c. 3. du. 25.  
Wiestn. h. t. n. 86. His non obstante, quod in  
contrarium objiciunt quidam ex c. 7. de statu Mo-  
nach. cum ibi sermo sit de inquisitione generali, ut  
Barbol. ibid. n. 17. Sanch. l. c. n. 4. De cætero,  
quod inquisitio hæc simpliciter specialis nulla præ-  
cedente infamia institui possit, quin & quandoque  
debeat ex officio paternè, seu ad emendationem tan-  
tùm, præter AA. jam cit. tenent Abb. in c. quali-  
ter. n. 17. Sanch. l. c. n. 4. & Fagn. ibid. num. 45.  
Sylv. v. inquis. q. 4. d. 3. Pirh. n. 64. quos citat  
& sequitur Reiffenst. n. 175. Arg. c. postquam, &  
c. nihil de Elect. ubi jubetur inquiri super vita &  
moribus eligendi vel promovendi ad Prælaturam,  
ne promoveatur indignus: quod tamen argumen-  
tum, num rectè adducatur dubito, cum quamdiu  
non inquiritur de certo aliquo crimine, non sit in-  
quisitio simpliciter specialis, sed potius mixta. At-  
que in hoc casu paternæ inquisitionis simpliciter  
specialis requiri aliqua indicia, seu suspiciones, pate-  
bit ex sequentibus. Nihilominus & inquisitio  
specialis in pluribus casibus institui potest absque  
prævia infamatione & denunciatione. Unde dixi in  
responsione: regulariter requiri infamiam. Sic  
enim id fieri potest primò, dum adsunt legitima &  
sufficientia indicia commissi criminis contra inqui-  
rendum, utpote suppletia vicem infamationis, &  
plerumque fortiora, quàm infamatio, Farin. l. c.  
n. 21. Marant. l. c. n. 22. Clar. L. 5. §. fin. q. 20.  
n. 2. de Lug. de justit. d. 37. f. 6. §. 6. Pirh. h. t.  
n. 61. Reiffenst. num. 189. Guazz. reorum defens.  
91. n. 14. Wiestn. n. 79. idque etiam si solùm sint  
probabilia, seu verisimilia, & minora, quàm quæ  
jure exiguntur ad torturam; ut Wiestn. cit. Guazz.  
& Farin, quamvis hic apud Pirh. dicat, debere  
esse propinqua, non remota; & Navar. & Suar.  
apud de Lugo non admittat hanc exceptionem, nisi  
indicia sint manifesta & publica: quibus opponit  
ipse de Lugo, quod hac ratione non esset exceptio,  
cum ex ipsis talibus indicis generetur infamatio;  
De cætero rectè dicit Farin. l. c. q. 1. n. 45. quæ-  
nam sint indicia legitima & sufficientia, relinquen-  
dum judicis arbitrio & judicio.

2. Resp. Secundò: Si inquisitio fiat citra præ-  
cedentem infamiam, præsentem reo non contradicen-  
te, nec quidquam contra hoc excipientem; valet  
enim, nec amplius impugnari potest processus, Fa-  
rin. l. c. n. 12. Clar. l. c. q. 6. n. 9. Marant. l. c. n.  
27. quos citat & sequitur Pirh. n. 62. juxta expres-  
sum textum c. 2. C. ult. h. t. in 6. & ex ea ratione,  
quod requisitio illa infamiae præcisè inducta in fa-  
vorem rei, cui uti & exceptioni dilatoriae Judicis ei  
competenti, tacendo tacitè renunciat, dum quili-  
bet juxta c. Apostolicam de regular. favori pro se  
principaliter inducto renunciare possit, cum forma  
illa, seu ordo procedendi judicialiter non nisi prævia

infamia, non sit de substantia processus, ita ut ei renunciari non possit. Pirh. l. c. in cit. c. ultim. h. t. v. ne quibus. Porro idem, quod sine infamacione inquiri possit reo presente non contradicente, locum quoque habeat reo absente contumaciter, cum is non sit melioris conditionis quoad hoc, quam presentens; adeoque si presente reo non opponente exceptionem de non precedente infamia, valet inquisitio; multo magis valebit, si contumaciter absente eam non opponat, ait Pirh. n. 63. cum Farin. dicentes secus esse, seu non valere inquisitionem reliquumque processum, si reus absens non contumaciter vel presentens ignoraverit processum esse ad inquisitionem criminis non precedente infamacione.

3. Resp. tertio. Si inquisitio certae personae de certo delicto fieret motu proprio, non valet; at si fieret ex mandato seu delegatione Principis dicentis in sua commissione sibi constare de commissio ab ea crimine, vel famam de eo pervenisse ad aures suas, tunc enim taliter delegatus seu commissarius sine infamacione illius, aut aliis indicis a se habitis procedere potest. Farin. l. c. g. n. 13. Marant. l. c. n. 25. Pirh. n. 63. Secus, si non motu proprio, sed suggerente seu petente aliquo delegatio fieret a Principe simpliciter, non addente, sibi constare desuper, aut ad aures suas famam pervenisse, Marant. cit. Felin. in c. caput cum oportet. h. t. n. 4. Decio consil. 170. col. 2. Alex. consil. 183. col. fin. Pirh. l. c. & aliis; censetur enim Princeps, tunc velle, ut inquisitio fiat a delegato modo ordinatio, hoc est, non nisi prava infamacione, aut indicis ab eo habitis.

4. Resp. quarto. Procedere potest judicialiter, imo tenetur iudex, nulla etiam fama alia precedente, si fiat ad denunciationem ministri vel officialis publici ad indaganda delicta constitui. Tusch. L. 1. concl. 180. n. 39. Fagn. in c. qualiter. h. t. Pirh. h. t. n. 61. Reiffenst. n. 176. Wiestn. n. 81. arg. l. ea quidem. c. h. t. idem est de facta inquisitione specialis judiciali, ad denunciationem viri privati quidem, sed probi, dignique fide (pro quo non habetur socius criminis, cuius dictum sine infamia aliisve indicis sicut ad torturam, sic etiam ad talem inquisitionem sufficiens non est, Wiestn. h. t. n. 81. ex Mar. l. c. n. 113.) simpliciter tenent Clar. l. c. §. fin. q. 7. n. 1. Lezan. tom. 1. c. 27. n. 19. Passerin. tribun. regul. q. 8. a. 4. n. 17. Ameno pr. crim. n. 11. v. denunc. §. 4. q. 1. n. 24. quos citat & sequitur Reiffenst. contra Navar. Sotum & alios plures; ex ea ratione, quod ideo requiratur infamatio, ut suppleat vicem accusatoris, juxta cap. qualiter 24. h. t. in inquisitione autem speciali judiciali denunciator agit vices accusatoris, adeoque sicut accusante aliquo, ita & denunciante aliquo non requiritur praecedens infamatio. Tenet quoque hanc sententiam de Lugo l. c. n. 64. cum citato a se Suarez. ubi supra c. 12. n. 131. & plurimis apud hunc Jurisconsultum, (sub iis tamen limitationibus, si fiat de gravibus delictis & causis (de quibus mox seorsim) & non pure in ordine ad punitionem; sed ob bonum reipublicae, ne delicta impunita occasionem praebant scelestis hominibus suis criminibus eam turbandi & innocentes laedendi; hac quoque adjecta ratione praecipua, quod necessitas praecedentis infamacionis non sit de jure naturae, sed positiva, ut valet in praesente, d. §. q. 14. p. 1. §. 3. Sanch. & alii, cui juri praescribi potest legitima & rationabili consuetudine, quam probet ipsa praxis, tacentibus ad eam principibus tam Ecclesiasticis quam saecularibus. Mediam quandam viam inquit Wiestn. l. c. dum asserit, esse locum inquisitioni speciali super infamia denunciati, & dein hac comperta, etiam

inquisitioni super ipso crimine. Verum quidquid sit de hac quaestione, non videtur illa continere exceptionem contra responsionem, qua resolvebatur requiri praecedentem infamiam ad inquisitionem nemine denunciante aut accusante.

5. Resp. quinto. Non requiri illam ad inquirendum de crimine laesa majestatis, juxta Extrav. adreprimendum. & Glol. ibid. v. per inquisitionem. item de haeresi, arg. c. excommunicamus de haeret. Item de apostasia arg. l. 4. de apost. similibusque criminibus atrocibus vergentibus in grave damnum spirituale aut temporale reip. aut scandalum communitatis, tradunt Farin. c. g. n. 14. & 15. Less. cit. c. 29. n. 128. & 192. de Lug. de jur. & just. d. 37. n. 62. Pirh. n. 64. Wiestn. n. 83. & alii passim AA. Requirit nihilominus in iis delictis aliqua indicia vel suspiciones non leves, tradunt cit. Less. Pirh. Wiestn. Lug. h. cit.

6. Resp. sexto; Tamen si de uno delicto infamatus & convictus interrogari seu inquiri nequeat de aliis, de quibus in specie infamatus non est, ut contra Palud. Sylv. Armill. Tabien. Aretin. & alios cum communiore docent Sanch. l. c. c. 3. n. 21. & quos hic citat Navar. Cajet. Sor. item de Lug. l. c. n. 64. inquiri tamen potest absque speciali infamia de illis habita, sed sint circumstantiae delicti, de quo quis infamatus convictus aut indicis gravatus est, aut cum eo connexum vel plerumque conjunctum esse solet, v. g. convictus de adulterina consuetudine cum conjugata, inquiri potest de caede mariti reperti in adulterae camera; infamatus de homicidio, de spoliacione, cadaveris occisi; Spoliator Ecclesiae de effractione forium ejusdem; consuetudinem habens cum puella de defloracione ejusdem. Religiosus concubinaris de furtis, cum tales religiosi, qui aliunde non habent, res monasterii furari solent, ut alant concubinam. Ita Innoc. in cit. c. qualiter. n. 3. Abb. ibid. n. 7. Sanchez, Lugo, Wiestn. h. cit. Et haec, ut itidem, praesertim cum delictum, cum quo aliud connexum est, frequenter commissum & per aliquot annos continuatum. Unde de Lugo asserit, latronem de frequentia latrociniorum convictum posse inquiri de omnibus delictis.

7. Resp. septimo. Dum de eo inquitur specialiter, de quo prius inquisitum generaliter. Less. l. c. n. 175. Pirh. n. 64.

*Quaest. 47. Ut procedatur ad inquisitionem specialem judicialem ex fama, praesertim contra Praelatum, quae requirantur.*

1. Resp. primo. Requiritur primo, ut fama & clamorosa insinuat ad aures iudicis pervenerit, cum is non teneatur inquirere, si diffamatio solum ad alios pervenerit, Pirh. h. t. n. 59. Secundo, ut saepius juxta prudentis arbitrium pervenerit ad aures superioris; idem cit. Clar. §. fin. q. 6. n. 20. & Farin. l. c. g. n. 3. Tertio, ut fama praecedens inquisitionem originem habeat a personis honestis fide dignis, & non a malevolis vel improbis, ut Pirh. cum Farin. l. c. n. 6. Arg. cit. c. qualiter. Quarto, ut idem cum Clar. cit. q. 6. n. 12. & seq. & Farin. n. 6. ut constet de fama publica, eaque probata sit, saltem per duos testes super fama receptos (ita, ut Judici simpliciter in inquisitione, praescribere famam dicenti, non credatur) quod tamen qualiter subsistat, cum dictis supra ab eodem Pirh. n. 75. non satis video.

2. Resp. Secundo: Etsi ad inquirendum contra subditum, sufficiat simplex infamatio, etsi scandalum non generet; ad inquirendum tamen contra Praela-

Praelatum requiritur infamia, quæ sine scandalo diffamulari nequit, quia v. g. diffamatus de delicto incontinentia; vel etiam quæ sine damno rerum Ecclesiæ, aut periculo infectionis aliorum tolerari non debet, ut si infamatus de dilapidatione vel hæresi, Pirh. n. 60. juxr. cit. c. qualiter. & Abb. ibi. n. 9. Quin & semper majorem prærequirit infamacionem ad inquirendum contra Praelatum, ex eo, quòd facile Praelatis à subditis falsa crimina impnantur, dum ob executionem officii odium illorum incurunt; idem cum Abb. l. c.

**Quæst. 48. An & qualiter ad inquisitionem specialem requiratur, ut constet de corpore delicti?**

**R** Esp. Primò: Ante inquiri contra personam delicti, id est, nisi prius constet de corpore delicti, inquiratur, reipsa commissum esse. Sic v. g. ante omnem aliam inquisitionem, se informare debet Judex, & facere constare, quòd homicidium, de quo est quæstio, revera sit commissum, ita ut, si non prius constet de eo factò, inquisitio & processus reliquus sit ipsò jure nullus, etiamsi reus in processu sit illud confessus: cum corpus delicti, seu legitima notitia commissi criminis sit fundamentum processus criminalis; ita juxta L. 1. §. item. ff. ad S. C. Sylvian. & communem, Marant. de ord. jud. p. 6. n. 17. & 18. Clar. l. c. q. 4. n. 1. Passerin. in trib. regul. q. 20. n. 2. Reiffent. h. t. num. 201. Wiestn. h. t. n. 89.

2. Resp. Secundò: Aliud est corpus delicti, seu delictum facti permanentis, quòd vestigia post se relinquit, ut homicidium, vulneratio, incendium, falsificatio monetæ; aliud delictum facti transeuntis, quòd post se nulla vestigia relinquit, ut blasphemia, injuriæ verbales, fornicatio. De priore debet Judici certò & liquidò constare per ocularem inspectionem, ita ut, si publicâ famâ vel ad instantiam partis moveatur ad faciendum processum, v. g. contra homicidam vel incendiarium, ante omnem aliam informationem debeat ipsemet accedere, vel Notarium mittere ad cadaver occisi, aut ædes exultas in præsentia duorum testium inspiciendum, Clar. l. c. n. 4. idque etiamsi quis confiteatur à se occisum hominem in nemore, ei credi non debeat, nisi prius accedat aut mittat ad videndum, an ibi occisus homo, etiam faciendo exhumari cadaver, ut videat, si est vulneratus, dum homicidium est de recente, aut saltem, num reperiantur ossa ibi sepulta, Marant. cit. n. 18. cum Bald. in L. si quis testibus. in fin. c. de testibus. Quamvis tamen Reiffent. num. 206. cum Ameno asserat, processum adhuc valere, si omnia inspectione oculari, alio modo hauriatur notitia de corpore delicti. In casu tamen, ubi corpus delicti occultatum, v. g. si cadaver occisi projectum in profluentem, falsa monetæ abscondita, sufficiat constare de corpore delicti per duos testes, qui homicidio interfuerunt, vel falsam monetam viderunt, vel per alias conjecturas, præsumptiones & indicia, ut Clar. l. c. Menoch. L. 1. præsumpt. 58. num. 2. Reiffent. n. 203. Sic quoque sufficit, quòd de corpore delicti facti transeuntis constet Judici per conjecturas & præsumptiones, ut probat praxis omnium tribunalium, Reiffent. n. 204. Non tamen est necesse, ut, dum Judex procedit ad delationem alterius, prius distinctam inquisitionem instituat de corpore delicti, & postea etiam de delinquente; sed potest ita examinare testes, & capere informationes uno contextu probantes delictum esse com-

missum à tali delinquente, Clar. l. c. q. 9. num. 3. Quamvis tamen Judex inquirendo ita se gerere debeat, ut prius constet, delictum esse commissum, quàm quis illud commiserit. Si tamen testes statim ipsum delinquentem denuncient, id sit per accidens, & processum non inficiat, Reiffent. h. t. n. 5.

**Quæst. 49. Quenam exprimenda in interrogatione, seu inquisitione specialia, ut valeat?**

**R** Esp. Exprimenda species facti, & præterea circumstantiæ loci & temporis, saltem anni & mensis, quo commissum delictum, juxta dicta supra de accusatione, cujus vicem supplet, & formam servat, excepta inscript. Marant. l. c. n. 37. Clar. l. c. q. 31. n. 11. Farin. pr. crim. q. 1. n. 12. id totius mundi praxi servari asserentes, Wiestn. h. t. n. 90. Reiffent. n. 210. Arg. c. libellorum. ff. h. t. & c. fin. §. libert. 2. q. 8. Ex ea ratione, quod ex tali circumstantiarum expressione sæpe suppeditetur reo medium sese, & innocentiam suam defendendi. Limitandum hoc ipsum, ut exacta illa circumstantiarum expressio non sit necessaria, ubi crimen est antiquum, & jam pridem contigit, ita, ut verisimile non sit, testes non amplius meminisse circumstantiarum, Farin. l. c. q. 64. num. 93. & 99. Alex. L. 2. conf. 65. à n. 3. apud Wiestn. h. t. n. 92. cententes ad talem oblivionem sufficere annos tres vel quinque, & quandoque pauciores valent, q. 79. n. 44. Guazz. in reor. defens. 19. c. 7. n. 4. Item si alicubi vi statuti, aut huic æquivalentis praxi tribunalium, adversus certi generis delicta v. g. usuram, concubinatum, non solet procedi contra infamatos aut graviter suspectos, non nisi summarè, & inspecta sola facti veritate, Wiestn. l. c. n. 91. cit. Menoch. volum. 1. consil. 100. & 93. & Farin. Item quando crimen habet tractum, ut hæresis, usura, concubinatus aut alterius consuetudinis carnalis; ut cum Menoch. l. c. n. 91. Farin. l. c. q. 1. num. 17. Tuscho præf. v. libellus. concl. 320. n. 31. Wiestn. l. c. n. 93. Reiff. l. c.

**Quæstio 50. Quenam proponi debeant ei, qui inquiritur, & communicari?**

**R** Esp. Primò, in inquisitione speciali reo citato præsentem ante inquisitionem exponenda sunt capitula, id est, omnia, super quibus exigente fama, vel instantia partis (dum nimirum denunciatus est) inquirendum est, nec non solum depositiones, seu dicta testium, sed & nomina eorum publicanda reo, ut appareat, quid & à quo dictum; & hæc, ut reus habeat facultatem se defendendi, opponendo exceptiones, quæ si legitime, à Judice recipiendæ; ita ferè habet textus, c. qualiter. 24. h. t. & secundum illud Marant. l. c. n. 10. Dicitur autem primò: in inquisitione speciali, quia in inquisitione generali, ubi non est persona certa inquirenda, cui dentur capitula, id opus non est, Abb. in cit. c. qualiter. n. 11. & 13. Pirh. h. t. n. 60. n. 13. Dicitur secundò: ante inquisitionem: quia, si prius fiat inquisitio, & postea traduntur capitula, nihil agitur, cum pervertatur ordo, Pirh. l. c. cum host. in cit. c. qualiter. v. fuerit, & Jo. Andr. ibidem n. 25. v. fuerit. Dicitur tertio: nomina testium publicanda. (hi enim in judicio inquisitionis recipiuntur etiam licet non contestata; cujus contrarium est in aliis judiciis putæ accusationis & denunciationis, c. §. sunt & alii, ut lite non contest. Pirh. h. t. n. 76.) quod limitandum; nisi illis exinde grave periculum imminuat, ne aliàs multi testes se subtraherent, & veritatem

tatem dicere timerent, cum gravi præjudicio reipublicæ, Clar. l. c. 9. 49. n. 3. Barbof. in c. fin. de heret. in 6. arg. ejusdem c. Unde Reiffenst. h. t. n. 209. ait: in processu regularium ordinariè non publicari nomina testium. De cætero valituram inquisitionem factam super veritate criminis non præcedente inquisitione super infamia, si tradita non sint capitula reo de hoc non excipiente; quia traditio capitulorum non pertinet ad substantiam inquisitionis, adstruit Pirh. n. 63. not. 2. in fin.

2. Resp. Secundo: Communicanda præterea reo copia repertorum in processu diffamatorio, saltem in foro ecclesiastico, & in terris subjectis Ecclesiæ, in quibus servatur jus canonicum, quia, ut constat ex c. qualiter, & quando. h. t. ubi: quia utrumque nimirum capitulorum & repertorum dationem, seu communicationem requirit Pontifex, unum sine altero non sufficit, Marant. l. c. n. 9. & 10. quem vide. Si verò instituta inquisitio generalis judicialiter, id ipsum examinandis & interrogandis indicandum, ut videant, quomodo respondere possint & debeant, cum non una eademque potestas detegendi crimina in inquisitione judiciali & parerna, Reiffenst. n. 168.

*Quest. 51. An & quis ordo judicarius servandus in iudicio inquisitionis specialis, ut valeat.*

1. **R**esp. Primò in genere: Ordo judicialis servandus in iudicio inquisitionis, saltem contra sæculares, sicut in aliis iudiciis ordinatis, ita ut, si non servetur, processus non valeat; & si reus non reclamavit ab initio, sibi præjudicavit, Gl. in c. 22. h. t. v. non servatum. Host. ibid. v. non servatum. & v. finale. Joan. Andr. ibid. n. 2. Dixi: saltem contra sæculares, nam in instituta contra regulares, ordo juris non ita accuratè servandus quoad solennitatem seu subtilitatem iudicii, quæ in causis regularium remittuntur, non autem quoad veritatis probationem, Pirh. h. t. n. 78. cum Host. & Jo. Andr. arg. Clem. de V. S. Ad hæc, cum Prælati regulares conventuales, qui per electionem canonicam instituuntur, facilius ab administratione removeantur, quàm Prælati sæculares, causæ & probationes sufficiunt in inquisitione contra eos, in ordine ad hanc amotionem, Host. in cit. c. qualiter. v. facilius. Jo. Andr. ibid. n. 31. Priores verò claustrales & officiales minores nullo servato juris ordine ad libitum Abbatis amoveri possunt. c. 6. §. tales. de statu monach. Fagnanus in cit. c. qualiter. num. ult. Ac denique, quia contra regulares non tot reperiuntur exceptiones, quàm contra sæculares, & in ipsis exceptionibus non est necessarium, ita exactè formam & ordinem procedendi servare, ut Host. l. c. v. liberior. Jo. Andr. l. c. n. 31.

2. Resp. Secundo in particulari: Præcedendo à iudicio Inquisitionis contra regulares, sive Judex procedat ex mero officio, sive ad instantiam partis, ante omnia constare ei debet de corpore delicti. Dein si ex mero officio procedit, debet sumere & habere informationem & probationem de fama, in casu, quo ea requiritur. Tertiò debet citari reus, eique proponi capitula, super quibus exigente fama aut instantia partis inquirendum, nec non depositiones testium, & quandoque eorum nomina, ac denique recipere, audire & examinare rei exceptiones ac defensiones: uti singula hæc ferè constant ex antecedentibus. Unde jam, licet si eorum unum omittatur, (salvis limitationibus, quæ in præcedentibus, eorum ferè singulis oppositæ sunt) vel de-

bitus earum ordo non servetur, reusque desuper non reclamet, seu excipiat & protestetur, processus non sit nullus; ita ut ex eo impugnari amplius nequeat, postquam reus sponte & sine tortura crimen confessus, juxta clarum textum c. 1. & 2. h. t. in 6. Barbof. in cit. c. 1. Masc. de probat. concl. 363. n. 34. Reiffenst. h. t. n. 214. & 215. Erit tamen nullus, si reus ab initio reclamet, de non servato ordine, aut aliquo requisitorum omisso, juxta c. 22. h. t. Ac proinde c. qualiter monentur Inquisitores, ut, si prædictum ordinem non servaverunt, sele prudenter & cautè corrigant, hinc expressis: non pudeat vos errorem vestrum corrigere, qui positis estis, aliorum errores corrigere; quoniam ex his, qua inordinatè sunt acta, non potest ordinabiliter agi: etiam corrigendo sententiam tuam definitivam, si erravit in iudicando. Intellige tamen, dum Inquisitor est generalis, seu delegatus ad universitatem causarum, utpote ejus officium non expirat latè sententiæ, sicut contingit in delegato ad unam tantum causam; qui propterea non potest sententiam definitivam à se perperam latam in iudicando corrigere; qui tamen, etiam si solum erraverit in modo procedendi, potest errorem corrigere; ita Pirh. h. t. n. 66. cum Glos. in cit. c. qualiter. 17. h. t. & Abb. ibid. n. 2. & 3. procedendo tamen, ut dictum paulò ante, prudenter & cautè, ne vilescat eorum autoritas, quod fit, si neque fateantur, neque pertinaciter defendant suum errorem, sed de novo servato juris ordine procedant, vel ad tempus omnino supersedeant; ut Host. in c. cit. c. 17. v. supersedeant. Abb. ibid. n. 1. Pirh. h. t. n. 65.

*Quest. 52. An inquisitus & interrogatus teneatur dicere veritatem, aut liceat eum inducere blandis verbis, aliisque mediis ad eam dicendam: & num eidem imponi possit juramentum de dicenda veritate, & quid, si perjurium committat?*

1. **R**esp. Ad primum satis dictum ad L. 2. t. de confess. quæ vide.

2. Resp. Ad secundum affirmativè, modò absit mendacium, aut falsa promissio levioris pænæ, impunitatis, aut alterius gratiæ, Farin. pr. crim. p. 3. q. 81. n. 306. probaturque id ipsum exemplo Salomonis, 3. Reg. 3. ubi ad eruendam veritatem ex materna affectione simulavit dividi infantem. Sed neque falsa spe, elicitæ confessionis veritatis, reus ad ordinariam pœnam condemnari potest, Reiffenst. h. t. n. 225. & alii.

3. Resp. Ad tertium quoque affirmativè cum Bart. L. inter omnes. §. rectè, in fin. ff. de furtis. & Clar. §. fin. q. 45. n. 9. Arg. c. qualiter 17. & c. cum dilecti. h. t. confirmaturque id ipsum praxi inveterata omnium utriusque fori tribunalium. De qua consuetudine, utpote præbente, anam multis perjuris, etsi conqueratur Clarus cum aliis præsertim Theologis, ait tamen, se non audere, nec alios Judices debere recedere ab illa consuetudine. Adiditque Reiffenst. n. 221. in praxi criminali sui ordinis dictum juramentum expressè præscribi.

4. Resp. Ad quartum: De jure communi, si reus depositum hoc juramentum transgreditur respondendo falsum in foro externo, propterea pœnas nullas incurrit, arg. L. 2. c. de rebus cred. Clar. l. c. num. 10. dicens, in hoc neminem contradicere; quamvis q. 21. n. 39. addat, convictum respondisse falsò, posse postmodum torqueri: si tamen alicubi

alicubi statuta municipalia habeant quoad pœnas aliud, illi standum asserit Reiffenst. *h. t. n. 223.*

*Quæst. 53. Num in inquisitione speciali interrogari possit de sociis.*

**R** Esp. Præterea, quæ desuper responderi solent *L. 2. r. 18.* inquirere potest Judex in socios criminis in casibus, in quibus licita est interrogatio de sociis, quos enumeratos vide per *Glof. in L. fin. c. de accusat. Marant. l. c. n. 178.* De cætero dictum socii criminis non est sufficiens ad inquirendum de socio, ubi fama de eo non præcessit, quia socii criminis non sunt personæ honestæ, nec fide dignæ, nec faciunt indicium sufficiens ad torturam, & inquisitio non fit, nisi præcedente fama vel indiciis, *Marant. l. c. n. 23.* neque socii criminis, utpote hoc ipso criminosis, non possunt esse testes. *6. personar. de test. c. 1. de confess. nisi tamen sint crimina excepta, aut talia, quæ ex natura socium, requirant, Reiff. h. t. n. 231. & 232.*

*Quæst. 54. In quo loco & quibus sumptibus facienda inquisitio?*

**1.** **R** Esp. Ad primum: Inquisitio facienda est in loco, ubi reus laborat infamia, *Pirh. n. 57. not. 3. Arg. c. qualiter & quando, 24. h. t. ibi enim melius inquiri potest de vita & accusatione alicujus, ubi moratus est, c. 3. de elect. c. 3. & seq. de presump.* Et potest quis esse infamatus in uno loco, & non in alio. Unde inquirendum in loco, ubi laborat infamia, *Pirh. l. c.*

**2.** **R** Esp. Ad secundum: Fit ea sumptibus fisci, *Marant. l. c. n. 208. cum Andr. de Iernia.* Unde, dum dicit *Pirh. h. t. n. 53. not. 2.* quod, si inquisitores sint in loco, ubi inquisitio propriis sumptibus vivere debeant, alioquin modicos sumptus suppeditare paratis, ad quos divertunt, quos ipsis non debent; non loquitur de Inquisitoribus in inquisitione simplici criminali, sed de inquisitoribus ex officio talibus in inquisitione generali adhiberi solitis.

*Quæstio 55. An & qualiter cesset inquisitio, per supervenientem accusationem?*

**1.** **R** Esp. Primò: Dum antequam Judex formet inquisitionem, apparet citatus offensus, isque interrogatus, num velit procedere ad accusationem, declarat, quod sic, impeditur inquisitio. *Marant. p. 6. tit. inquis. n. 38.* cum remedium ordinarium, quale est accusatio, cessare faciat seu impediatur extraordinarium, quale est inquisitio, juxta *L. in provinciali. ff. de oper. nov. nunc. dicitque Marant. cum Bald. in L. ea quidem. in fin. Bart. in L. 3. §. fin. ff. de adulter.* in tantum id esse verum, ut etiam cotam alio Judice possit fieri accusatio, & impediti cæpta inquisitio coram alio. Nihilominus

**2.** **R** Esp. Secundò limitando id ipsum variè: ac primò quidem, accusator superveniens non facit cessare inquisitionem in casibus, in quibus specialiter de jure vel per statutum (uti hodieum etiam communiter permittitur) licitum est inquiri in criminibus, v. g. in crimine lætæ majestatis, aliisque casibus, de quibus *Glof. & DD. in L. 2. §. si publico. ff. de adulter.* cum remedium unum ordinarium non tollatur per aliud ordinarium, *Marant. n. 39. & 40.* Secundò, quando inquisitus datâ operâ asseclaret & procuraret, ut ab aliquo accusaretur cotam alio Judice, ad effectum impediendi inquisitionem, *Marant. n. 41. cum Bald. & aliis.* Tertiò,

cum Judex, antequam inquireret, interrogasset offensum, an vellet accusare, & is respondisset, quod non, *Marant. n. 42.* eò quod ut *Bald. in L. accusationem. c. qui accusare non poss. col. 1. Alex. in addit. ad Bart. in L. 3. §. fin. ff. de adulter.* Quartò, quando processum super inquisitione etiam post accusationem reo nihil opponente, Secus, si is opposuit, *Marant. n. 43. cum Bald. in L. 1. c. de furtis.* Quintò, si qui accusat, prius denuncialet Judici, quod procederet ad inquirendum, contra talem, quia haberet suspectum de crimine, ac proinde non supersederet accusatione, *Marant. n. 44. cum Speculat. tit. de inquis. §. nunc videndum. v. ult.* Sextò, quando Judex videret accusationem suspectam, v. g. propter collusionem, *Marant. n. 45. cit. aliis.* Septimò, si accusator fuit causa promovendi inquisitionem, ut quia ad ejus inquisitionem fuit formata inquisitio, cum tunc videatur elegisse viam inquisitionis, *Marant. n. 46. cum Baldo in L. ea quidem. c. de accusat. col. fin. & Bart. in L. 3. §. fin. ff. de adulter. col. 2.* Octavò, si probationes receptæ super inquisitione; cum accusatio illis superveniens non tollat effectum earum, sed ea remaneant in suo robore ad puniendum delictum, *Marant. n. 47.* Ac denique non procedit de jure canonico, secundum quod inquisitio est remedium ordinarium; cum Judex possit inquirere, etiam non monito offenso ad accusandum, *Marant. num. 48. cum Card. in Clem. sepe §. fin. de V. S. q. 3.*

*Quæst. 56. An & qualiter validetur inquisitio inepta per confessionem rei?*

**R** Esp. Respondet ad hoc breviter *Marant. l. c. n. 208. Rex Angel. cons. 178.* quod incipit *visit. actus,* cuius esse, ut absolvatur inquisitus, & denuo postea ipse inquiratur.

*Quæst. 57. Quæ pœna puniatur delictum detectum & probatum via inquisitionis.*

**1.** **R** Esp. Primò: Reum per viam inquisitionis convictum, vel crimen confessum potest Judex de jure canonico condemnare ad pœnam extraordinariam, seu pœnam tali crimini ordinariè statuta mitiorem consideratis personæ delinquentis meritis, & qualitate excessus, (nisi sit tale crimen, quod propter irregularitatem, quam incurrit, ordinis executionem, aut beneficii retentionem etiam post peractam pœnitentiam impediret, v. g. homicidium, simonia; vel etiam, ut de *Lugo de juræ & justitia d. 37. n. 69.* nisi crimina sint notoria, prout hæc expressè statuuntur *c. inquisitionis. h. t.*) ex hac ratione suadente hanc moderationem seu mitius agendum, cum non sit pars, quæ pœnam urgeat. Non tamen ad id teneretur Judex, cum *cit. c. inquisitionis.* non dicatur: *debet vel tenetur,* sed *poterit judicantis discretio moderari pœnam:* ac ita tenent *Abb. in c. super de confess. n. 10. & Gonzal. ibidem n. 7.* Quin etiam contrarium esse de consuetudine communi tribunalium ecclesiasticorum: contra de *Lug. & Marant. p. 4. n. 36.* dum absolutè pronunciant de jure canonico non totam pœnam, sed ordinariè mitiorem esse imponendam; vicijus etiam in foro ecclesiastico condemnatur reus inquisitus convictus vel confessus ad pœnam juris ordinariæ, præsertim ubi qualitas delicti id exigit, ad exemplum & terrorem aliorum; testantur *Gonzal. l. c. n. 11. Reiff. h. t. n. 220.* qui etiam pro confirmatione hujus consuetudinis tanquam rationalis citat. *c. fin. de celebrat. missar.* dum ibi Sacerdos per viam

viam inquisitionis processatus, fuit condemnatus ad pœnam ordinariam.

2. Resp. Secundo: De jure civili non tantum potest, sed & debet puniri talis pœnâ ordinariâ, *L. 2. c. de abolendis, L. ordo ff. de publ. judic. Abb. inc. inquisitionis. b. t. n. 8. Felin. ibid. n. 3. Marant. l. c. Tiraq. de pœnis temper. c. 53. num. 2. Sanch. L. 6. conf. c. 3. du. 40. Pirh. Wiestn. h. cc.*

**Quæst. 58. An & qualiter procedendum non servatò juris ordine in delictis & malefactoribus notoriis.**

**R** Esp. Primo: Prænotando ac recolligendo in unum locum, quæ antecedenter *b. t.* sparsim dicta sunt: primò occultum propriè dici, quòd nulla ratione probari potest *Jo. And. in c. vestra, de cohob. cler. & mulier. n. 12. Abb. ibid. num. 10. Fagn. num. 45.* Penè vel quasi occultum, quòd à paucis tantum, vel duobus, tribus, vel etiam quinque scitur, cum id adhuc secretum, quòd in præsentia quinque personarum dicitur, *can. 87. de pœnit. dist. 1. §. hac ergo.* Et ibi *Glos. v. secreta,* quamdiu adhuc ad iudicium non deferuntur; ut *Fagn. ad cit. c. vestra.* Secundo publicum completi tres gradus, seu veluti species; ut *Guar. de carit. d. 8. f. 6. in pr. Castrop. t. 6. d. 3. p. 13. n. 1.* Primus quòd saltem à duobus scitur, adeoque probari potest, & hinc jure probabile dicitur, *Arg. L. Herodes. ff. de testamentis, & cum pene occulto confunditur, Fagn. l. c. n. 51. & 121.* Alter gradus, si non tantum probari potest, sed ita notum pluribus, ut fama de illo existat, quòd etiam manifestum & famosum dicitur. Tertius, quòd ita notorium est, ut nullâ viâ aut nullò modò celari & negari possit; diciturque tunc notorium, *Abb. in c. vestra. n. 11. Nav. c. 27. Man. n. 255. Fagn. in c. vestra. n. 11.* Tertio famosum dicitur, quòd per famam publicam innotescit. Quarto manifestum propriè est, quòd publicè & famosè notum ex certa scientia & certis authoribus, per quòd differt à famoso, quòd non requirit certam scientiam, cum etiam proveniat ex sola suspitione & rumore ejus; nec certum authorem, quorum utrumque est quid fallax; ac ita ad illud præter publicum concurrere debet fama, quæ ad publicum non requiritur, *Abb. in cit. c. vestra n. 12. Fagn. n. 55. Tusch. Lit. N. concl. 104.* Quintò notorium propriè loquendo est, quòd constat vel per evidentiam rei, quæ nulla prorsus tergiversatione celari potest, *c. fin. de cohobit. cler. cum mulier. c. cum olim. d. V. S. uti si fiat coram omnibus, vel majore parte communitatis, hac enim populus universus designatur, L. 160. ff. de reg. jur. vel de quo constat per confessionem rei factam in iudicio, (intellige sponte, & non ex gravi metu, aut vi tormentorum) vel de quo patet per sententiam condemnatoriam, à qua non fuit appellatum, *cit. c. fin. de cohobit. cler. & mulier.* aut de quo constat per testes idoneos, & legitimas probationes, quibus nihil opponi potest, *c. olim. de V. S. juncta Glos. in c. communicavit, v. loquere. de testib. Pirh. h. t. n. 55. Reiffenst. num. 246.* Porro licet quandoque notorium & manifestum sumantur pro eodem, differt tamen propriè loquendo, & prout tertiâ speciem constituit, in hoc præcipuè, quòd manifestum minus sit, quàm notorium, *Abb. l. c. Fagn. n. 55. Tusch. l. c. n. 19.* De eo verò, quòd hominum frequentia requiratur, ut delictum dicatur verè & propriè notorium, controversatur valdè inter AA. in eo tamen ferè convenientes, quòd major pars populi vicinæ, parochiæ, collegij, communi-*

tatis (modò in ea non pauciores, quàm decem) requiratur, *Sylv. v. notorium. q. 4. Abb. l. c. n. 16. Navar. l. c. c. 27. n. 55.* An verò id ipsum procedat, dum communitas magna est, *v. g. 300.* non omnes consentiunt; affirmare videtur *Sanch. L. 6. conf. c. 3. du. 3. Abb. l. c. & Fagn. id relinquentem judicium prudentis Judicis arbitrantur, spectatis circumstantiis loci, temporis, qualitate personæ & delicti. His prænotatis*

2. Resp. Secundo: Contra crimina verè notoria potest Judex procedere, eaque punire non servato juris ordine, prout constat *ex can. 14. §. his omnibus. caus. 2. q. 1. c. 16. ead. caus. & q. c. super his de testib. cog.* Ex ea quoque ratione, quòd ordo juris inductus ideo, ne veritas debite indagari, & maliis accusantium occurrì possit, & ne quis innocens condemnaretur; sed cuiuslibet esset potestas defendendi se, causamque suam, juxta *cit. can. 16.* Hinc, cum per notorietatem aperta sit veritas, dicto ordine opus non est. Atque ita in specie: primò in notoriis non requiritur accusator, aut denunciator, multòque minus libellus, sed potest Judex sine his procedere ex officio; contra notoriè delinquentem, *juxta c. evidentiâ. h. t. c. manifesta. caus. 2. q. 1. cum libellus etiam ad processum summarium non requiratur, multò minus ad procedendum in notoriis, utpote quæ nequidem summarium ordinem requirunt.* Secundo in notoriis reculari non potest Judex tanquam suspectus, *Arg. c. 24. de appell. & ibi Glos. v. manifesta;* si tamen sint crimina, quæ jure taxatam pœnam habent. In aliis enim, quæ pro arbitrio Judicis puniuntur, is reculari potest à reo habente legitimam reculandi causam. Tertio, non requiritur ad probandum crimen notorium, productio & examen testium, utpote non necessarium ad acquirendam certam veritatem quæ jam notoria est, *c. 17. caus. 2. q. 1. junct. c. 3. de testibus;* ad probandum tamen ipsam notorietatem, quandoque testes adhibendi. Quarto non requiritur citatio in casu, quo crimen non tantum notorium est, sed etiam evidenter constat, nullam defensionem competere reo: quamvis tamen DD. communiter & praxis suadeant, ne Judex aliquem etiam notoriè delinquentem sine citatione damnet, nec temerè nota pronunciet. Quintò non requiritur sententia in scriptis; dum enim jura universali-ter statuunt, in notoriis solennitates juris non requiri, hæc etiam in sententia requirendæ non sunt, ita tenent *Innoc. in c. ex parte. d. 1. de V. S. num. 1. Calder. in cit. c. vestra. n. 47. Farin. pr. crim. q. 21. n. 115. quin & Passer. in tribunal. regul. q. 10. n. 12. & alii apud Reiffenst. h. t. n. 158.* docent in notoriis loco sententiæ sufficere solum præceptum Judicis reo pœnam imponentis. Verum quidquid sit de jure, observari tamen de consuetudine, ut etiam in notoriis feratur sententia, tenent *Clar. §. fin. q. 9. n. 8. Fagn. in cit. c. vestra. n. 96. apud Reiffenst. n. 159.* qui ad conciliandas has sententias alia id dici posse de sententia non requirente solennitatem scripturæ, vel de sententia declaratoria notorietatis. Sextò in notoriis non datur appellatio, sed ea non obstante, procedere potest ad executionem pœnæ, *c. cum sit. §. fin. & c. pervenit. c. proposuit de appell. eò quòd in notoriis; pronuntiatio Judicis potius sit executio juris, quàm sententia.* Quamvis detur appellatio à sententia declaratoria notorietatis: cum multa dicantur notoria, quæ talia non sunt; ut dicitur, *c. consuluit. de appell. Reiffenst. n. 260. & 261.*

3. Resp. Tertio: Ut præfate modo contra notoriè

torie delinquentem procedi possit requiritur primò, ut delictum sit verè & propriè notorium, dum agitur de notorietate facti, nempe commissum in præsentia saltem sex personarum, ita ut non sufficiat esse manifestum & planè famosum. His non obstantibus quòd *can. 14. §. his omnibus. caus. 2. q. 1.* & alibi in jure dicatur, in manifestis non esse necessariò observandum juris ordinem; cum manifestum ibidem significet idem ac verè notorium. *arg. c. cum olim. de V. S.* Secundò ut judici legitime constet de Notorietate vera delicti, nimirum vel ex eo, quòd commissum in conspectu ipsius judicis pro tribunali sedentis, aut in actu & exercitio suæ Jurisdictionis existentis præsentem etiam majore parte communitatis, ut Passerin. *l. c. num. 6.* vel præsentibus Assessioribus, aut saltem Notario publico ut Ameno *pract. crimin. tit. 3. V. Canon. circa num. 58.* Reiffenst. *num. 63.* cum acta coram iudice per Notarium in judicio conscripta plenè probent. Vel constet illi per testes, saltem duos omnino exceptione majores, qui ex proprio sensu deponant, non tantum de delicto commissò, sed & de notorietate facti, ut Farin. *l. c. q. 21. num. 205.* Passer. *l. c. q. 10. n. 9.* Ameno *l. c. n. 56.* quos citat & sequitur Reiffenst. *num. 264.* testans de communi. Tertio requiritur, ut constito de Notorietate, Juxta quoque de ea pronunciet. Barb. *de Offic. & potest. Episc. alleg. 106. n. 18.* Tambur. *de Jur. Abb. tom. 3. d. 7. q. 2. num. 19.* Reiffenst. *l. c.* ita ut, si Juxta de Notorietate non constet legitime, aut is de ea in sententia mentionem non faciat, dicendo v. g. *siquidem notorium est crimen Titii, condemnamus eum ad pœnam N. N.* Processus sit nullus, & hinc ab eo appellari possit. Non tamen necesse est, ut de ea pronunciet per sententiam interlocutoriam. Ac denique constare quoque ei debet de qualitate delicti in ordine ad malitiam, ita ut non sufficiat constare notoriè homicidium commissum, sed etiam quòd culpa vel dolo, & non fortuito, vel ex sui defensione inculpata tutelæ commissum. Clar. *§. fin. q. 9. n. 3.* Farin. *l. c. n. 49.* Passer. *l. c. n. 5.* Reiffenst. *n. 265.*

*Quæst. 59. An præter hos jam declaratos modos deducendi crimina in judicium sint & alii, & qui illi?*

**R**esp. Affirmativè, nempe confessionis *c. 2. de confessis.* Quà factâ in judicio aperitur iudici via ad instituendum super crimine processum inquisitionis, infligendumque reo per sententiam pœnam etiam ordinariam. Dein exceptionis juxta *c. cum dilectus de ordin. cogn. & c. 1. de exceptione,* de qua præter dicta *l. 2. t. 26.* notanda sequentia huic loco magis congruentia. Primò, quòd sit oppositio criminis à reo facta, ut iudicem ab officio seu jurisdictione, accusatorem ab accusatione, denunciatores à denunciatione, testem à testando removeat, vel etiam ut vindictam publicam subeat is, cui crimen opponitur. Ut sumitur ex Claro *§. fin. q. 19. n. 2.* Scaccia *de judic. civil. & crim. l. 1. c. 75. n. 2.* Secundò quòd hæc exceptio institui potest modo duplici, nimirum civiliter vel criminaliter. Civiliter crimen opponitur ad removendum iudicem ab officio in illa causa, accusatorem ab accusatione? Criminaliter dum insuper opponitur, ut puniatur pœna tali crimini à Lege statuta accusator vel testis. Et in priori casu, is, cui crimen opponitur, non potest condemnari per sententiam ad ordinariam vel extraordinariam pœnam, etsi crimen oppositum fuerit legitime proba-

*R. P. Lehr. Jur. Can. Lib. V.*

tum, nisi alius processus desuper instituat, quòd potest iudex ex officio, ubi exceptionem apprehendit esse legitimam: sed solum per sententiam interlocutoriam ab accusatione & testificatione removeri, juxta *c. cum dilectus. §. verum.* Wiestn. *h. t. n. 102.* Reiffenst. *n. 237.* & statim in eodem processu ex probationibus rei, vel aliunde cognoscere & judicare, an exceptio sit justa & legitima, eamque, si legitimam cognoscat, per sententiam interlocutoriam admittere; si injustam & frustratoriam rejicere, eaque non obstante in processu pergere. Uti Clar. *loc. cit.* Barbof. in *c. cum dilectus. n. 5.* Pirh. *h. t. n. 130.* Reiffenst. Wiestn. *ll. cit.* In secundo verò casu, seu ubi exceptio criminaliter facta, ea induit naturam accusationis. *arg. l. 7. de accusat.* Adeoque conditiones ad accusationem requisitæ in ea observandæ, v. g. locus & tempus commissi criminis exprimenda. Quodque excipiente in probatione delicti objecti deficiente, absolvatur ab eo accusator & testis, ita ut ab alio denuo super eodem accusari nequeat. Scaccia *l. c. n. 2.* Clar. *n. 3.* Wiestn. *n. 203.* Eà verò probatâ juxta petitionem excipientis, ad pœnam ordinariam vel extraordinariam condemnandus accusator & testis, *arg. c. super his. & l. si cui §. 2. ff. de accusat. & ibi Bart. n. 5.* Tertio notandum, quòd sicuti, dum contra accusatorem excipitur criminaliter, non tantum repellitur ab accusatione, sed etiam punitur, sic, ubi accusatori ad prælaturam beneficiumque Ecclesiasticum per electionis confirmationem aliamve provisionem jam promotò, adeoque jam titulum consecuto, objicitur crimen, quòd de jure obstat ejus consecrationi, ordinationi, missioni in possessionem, is probato crimine non tantum repellitur à jure quærendo, per consecrationem, ordinationem, missionem in possessionem, sed etiam jure jam quæsito per confirmationem aliamve provisionem, seu ipso titulo dignitatis alteriùsve beneficii. Idque in favorem & utilitatem Ecclesiæ, cui inutilis esset Prælati aut Rector non consecratus, non ordinatus, aut administratione ob non adeptam possessionem carens, jure inductum est. Ita juxta *c. super his. Jo. Andr. ibid. n. 10.* Vivian. *§. excipiens.* Pirh. *h. t. n. 102.* quos citat & sequitur Wiestn. *h. t. n. 103.* Quarto in dubio, num crimen ab excipiente objectum sit civiliter vel criminaliter, præsumi objectum civiliter, Decian. *rr. crim. l. 3. c. 30. num. 4.* Wiestn. *n. 104.* eò quòd exceptio naturâ suâ non ad vindictam, sed ad agentis intentionem excludendam tendat, juxta *c. cum dilectus. de ordin. cognit. & l. except. ff. de except.* Quintò quòd criminosus non admittatur ad excipiendum de crimine, si prosequatur bonum publicum, quia est excipiens voluntarius, hæcque exceptio vim habet cujusdam accusationis, à qua repellitur criminosus, ut & à testificando. Secus, si persequatur suum interesse proprium, v. g. quia is, contra quem excipitur, futurus est suus Prælati, vel Parochi, vel Patroni, vel ejus interest, talem non promoveri; cum tunc sit excipiens necessarius, & sequenti jus suum obstat non debet exceptio criminis, sive quòd sit criminosus. *arg. c. 2. caus. 4. q. 6.* Nisi aliunde ex aliqua causa sit suspectus. *arg. c. ult. caus. 3. q. 10.* Sic contra electum in Episcopum quilibet subditus, tam quoad personam quàm formam electionis; contra promovendum ad Ecclesiam curatam quilibet parochianus; contra simplicem beneficiatum, quilibet de Ecclesia, in qua est beneficium, excipere potest: quia cujuslibet in-

*E*

*terest,*

terest, non tantum Prælatos & Parochos, sed & alios clericos, seu ejusdem Ecclesiæ beneficiatos habere bonos. ita Pirh. n. 102. citatis Hofst. in c. super his. col. 2. §. excipitur. Abb. n. 10. & 11.

*Quæst. 60. Qualiter procedatur in delictis in flagrante comprehensis.*

**R** Esp. Dum delinquens comprehensus v. g. in actuali furto à ministris justitiæ vel aliis, statim ad judicem deducitur, vel etiam ab ipso iudice præmonito superveniente cum testibus, vel etiam coram illo pro tribunali sedente delinquit, cum eo procedi potest non servato juris ordine, v. g. non requisito accusatore aut denunciatore, aut etiam sententia cum juris solemnitate prolata. Quin & per simplex iudicis decretum aut præceptum pœna infligi potest. In primo tamen & secundo casu examinandi testes, super delicto & apprehensione,

& si reus neget, nec afferat aliqua pro excusatione, amplius examinandum, & defensores & patronos concedendos asserit Reiffenst. n. 270. citatis Clar. l. c. q. 8. Passer. l. c. c. 11. Farin. l. c. à num. 152. De cætero, dum iudex nec pro tribunali sedens, nec actu exercens actum jurisdictionis, sed alia occasione suis oculis videt, non dicitur delinquens in flagrante deprehensus, in ordine, ut contra eum procedi possit non servato juris ordine, licet possit sine alia denunciazione aut accusatione inquirere contra ipsum & informationem capere, servato in cæteris juris ordine. Clar. l. c. n. 5. Farin. Passer. n. 162. quos citat & sequitur Reiffenst. num. 269. Plura quæ concernunt visitationem, accusationem, inquisitionem, cæterumque processum criminalem regularium vide specialiter fusc tractata à Reiffenst. à q. 270.

## TITULUS II. De Calumniatoribus.

*Quæst. 61. Calumnia quid sit & quotumplex?*

**1.** **R** Esp. Primo: Calumniari in sensu generali nihil est aliud, quam malitiosa & mendax alicujus infamatio. Quatenus verò ad judicia refertur, est aliquem per fraudem litibus vexare. Lauterb. in ff. de ad S. C. Turpill. §. 1. juxta l. 233. ff. de V. S. Strictius, seu prout hoc loco accipitur, calumniari dicitur, qui alteri, quem scit (aut scire debet, ut Clar. §. fin. q. 62. n. 7.) esse innocentem, scienter & dolose falsum crimen in iudicio intendit, seu contra alium proponit. Ita communis, arg. l. 1. ff. ad S. C. Turpill. Unde calumniator in hoc sensu dicitur, non solum, qui alterum falsò accusat aut denunciat, sed & quicumque alius, qui falsum crimen contra alium in iudicio proponit, arg. l. 6. ff. eod.

**2.** Resp. Secundo: Calumniari dupliciter quis dicitur, nimirum verè, prout jam descriptum est, & præsumptivè, dum qui crimen à se propositum probare nequit, hoc ipso calumniari, seu litem calumniosè movissè censetur seu præsumitur, arg. c. 2. h. t. & ibi Gloss. V. calumniari, Abb. num. 5. Pirh. h. t. n. 1. Cum is qui accusare vel denunciare vult, probationes paratas habere debeat, juxta l. qui accusare. c. de edendo. Quamvis, ut cit. AA. hæc præsumptio non sit juris & de jure, adeoque contra eam pro innocentia Accusatoris & Denunciatoris admittatur in hoc casu probatio. Non tamen eo ipso statim pro Calumniatore haberi, & tanquam talis à Iudice puniri debet, quod in probatione deficiat, sed examinare & inquirere ex officio debet iudex, qua de causa ductus ad falsi criminis delationem accesserit, & num talis Accusator vel Denunciator pro se afferat Probationes & Præsumptiones, quæ dolum & animum calumniandi excludant, & si tales attulerit, absolvendus à crimine calumniæ, Menoch. de arb. c. 321. num. 3. Farin. pr. crim. q. 26. Wiestn. h. t. num. 3. & alii cum communi, juxta l. 1. §. 3. ff. ad S. C. Turpill. Tales verò causæ & præsumptiones, num ad hoc hic & nunc sint sufficientes, relinquendum officio iudicis. l. 1.

*Quæst. 62. Quenam in specie sint præsumptiones ejusmodi?*

**R** Esp. Adduci solent sequentes: Primò qui ex officio, seu ex necessitate officii denunciant, nisi constet, eos falsò denunciare; obligatio enim officii eos excusat à præsumpta calumnia, non à vera, Clar. §. fin. q. 7. n. 12. Farin. l. c. q. 16. n. 17. Pirh. h. t. n. 6. Wiestn. l. c. Reiffenst. n. 5. juncto n. 13. arg. l. 2. c. de his qui accus. & l. 2. c. de dolo. Secus est de denunciatoribus privatis, qui sponte ob privatum interesse vel ob aliam particularem causam denunciant, Pirh. l. c. arg. l. Divus. ff. de custod. reor. Secundo, qui saltem semiplenè per unum testem probavit, Farin. l. c. num. 21. Menoch. l. c. n. 17. & 18. Felin. in c. 2. h. t. num. 3. Pirh. num. 5. nisi, ut idem, confueverit calumniari; tunc enim præsumitur semper calumniari, quæ præsumptio elidit semiplenam probationem, per quam elidebatur præsumptio calumniæ. Tertio si accusator fuit deceptus in testibus promittentibus extra iudicium se plenum daturus testimonium, postea in iudicio negantibus vel vacillantibus, Abb. in c. 2. h. t. Farin. l. c. n. 49. & 50. Pirh. Wiestn. l. cit. Reiffenst. num. 18. Idem est, si testes ab accusatore nominati mortui sunt, vel procul absentes, vel à testificando malitiosè impediti, Pirh. Wiestn. Reiffenst. l. cit. vel si testes ob inhabilitatem priùs fuerunt rejecti, aut aliàs de se inhabiles ad testificandum, ignorante id Accusatore vel Denunciatore, Menoch. l. c. n. 31. Wiestn. l. c. Reiffenst. num. 19. testans de communi. Quarto si probationes aliæ sint accusatori malitiosè subtractæ. Quintò, mulier accusatrix ob fragilitatem excusatur à calumnia præsumpta aliàs ex defectu probationis. Pirh. l. c. Reiffenst. num. 14. juxta l. 1. §. 10. ff. ad S. C. Turpill. Sextò, si quis accuset aliquem de eo delicto, de quo antea erat infamatus, vel quia alia indicia criminis ad torturam, vel saltem ad inquirendum sufficientia præcellerunt, Farin. l. c. n. 61. & 62. Pirh. l. c. Reiffenst. n. 17. Septimò si atrocitate criminis redundantis in grave damnum boni reipublicæ, v. g. læsæ majestatis, hæresis, Simonix ductus quis accusavit aut denunciavit. Abb. in c. 2. h. t. n. 2. Felin. ibid. n. 6. Farin. l. c.